


Coll: neap. ex catal. inscrip.

M.

BASILII ZANCHII IN OMNES DIVINOS LIBROS NOTATIONES.



EIVSDEM IN. IIII. REGVM, ET. II. PARALIPOMENON LIBROS QVAESTIONES.



ROMAE APVD ANTONIVM BLADVM.
M. D. LIII. MENSE
IVNIO.

BASILIVS ZANCHIVS ANTONIO AVGVSTINO. S. P. D.

INTER omnia studiorum genera quæ homine ad iuuandos homines nato, quiq; de hominum genere optime promereri uelit, digna sunt Antoni Augustine, unum illud sine dubio longe, & multum excellit, quod uniuerso hominũ generi non solum his qui tum uiuunt, sed & posteris omnibus magis necessariũ est, plusq̃ ornamenti, utilitatis, ueræq; ac sinceræ voluptatis omni tempore, omnibus locis secum affert: id quod in ijs quæ honesta, quæq; vtilia, ac uere iucunda sunt conscribendis præstari nemo est qui non uideat: in primis uero in Diuina, atq; cœlesti doctrina diligenter, sancte, pieq; explananda, confirmanda, contra Ecclesiasticæ ueritatis perduelliones defendenda: quo quidem munere Christianæ Reip. nullum maius, meliusue afferri potest. Nemo enim omniũ est qui sine illa summum illud bonum omnium Deum, atq; ultimum finem, quò omnes contendunt: quem natura maxime expetit: ad quem omnia referuntur: cognoscere, aut assequi possit. Quæ sane Doctrina sola est uerum humanæ mentis decus, diuitiæ, beatissima quædam delectatio, ac uoluptasq;: quæ ita infinitis partibus omnibus omnium mentium inuentis, dictis, scriptis deniq; antecellit, quẽadmodum illius auctor Deus infinitis partibus ab una quaq; rerum à se creatarum distat. Reliqua enim omnia ab alijs tradita plus, minusue, erroris tamen aliquid admistum habent. Neq; enim contingere potuit eis, ut rectum, & nulla aberrantem parte cursum intelligentiæ, ac uitæ tenerent, atq; instituerent, qui quis esset ueritatis, ac vitæ ppositus finis aut nescirent, aut ueluti per nubem spectantes suspicarentur: dicerentq; constantius, quã crederent. At sacræ literæ tantũ longe ab omni errore remotæ sunt, quã qui eas tradidit, atq; inspirauit Deus. Hæ sunt quæ solæ nos certa solida, rectaq; ducunt uia: quæq; omni discussa caligine sequentem se non falli, non excidere, non usq; aberrare patiuntur. Harum pulchritudinem, claritatem, splendorem qui non vident, miserabili mentis cæcitate inuoluuntur, qui uident, & non amplexantur, non flagrãtissimo studio osculantur, suspiciunt, uenerantur, non miserabiles modo, uerum etiã deplorandi mihi esse uidentur. At vero his quicũq; in primis se dedicarũt, ij mihi demum omnibus numeris felices ab animo, laboribus, studijs, vigilijs, lucubrationibus deniq; esse existimandi sunt. Ac quum quatuor (mea quidem sententia) omnino sint scriptionũ genera quæ mihi ualde probantur, Primũ, quũ cogitata nostra, ac sensa nostris verbis, nullis aliorum scriptorum testimonijs cõfirmata, aut carmine, aut libera oratione persequimur, atq; explicamus: alterum quum ex alterius sententia, ac doctrina nostris tamen verbis non tanquã interpretes, sed imitatores scripta literis, posteritatiq; mandamus: tertium quũ vna.

quæq; res, quæ testimonio corroboranda sit, idoneis, ac certis testibus laudatis sempiternæ memoriæ commendatur; postremum quum de vna quaq; re ipsorũ auctorum testimonijs ad verbum adhibitis pertractamus. quod quidem postremum scribendi genus vt minus laudis, atq; ostentationis ingenij habet, sic plus auctoritatis habere solet, dum acutus, atq; intelligens lector singula Scriptorũ verba cogitate, atq; attente excutit, atq; appendit. Cuiusmodi apud Græcos in vetus Testamentum à Polychronio, & Olympiodoro, in Nouum ab Euthymio, et Oecumenio, & Aretha: apud Latinos à Strabo monacho Rabani auditore (ut eos qui recentiore memoria extiterunt omittam) & Anselmo Laudiniense, & Petro Lombardo, postremo à Thoma Aquinate excellentis ingenij, doctrinæ, sanctitatis viro contextæ Explanationes constant. Cuius modi sunt loci Communes ab Antonio et Maximo monachis in vnũ volumen redacti, quod μέλισσα inscriptum est: itemq; Ioannis Stobæi ad Sesimium filium τὰ ἠθικὰ quæ iam diuulgata sunt: et τὰ φυσικὰ quæ nondum in uulgus emanarunt. Nos ne nihil ageremus, nostriq; otij rationem redderemus, aliosq; ad scribendi studia excitaremus pro virili parte ad cõmunem studiosorum omniũ usum ad hũc diẽ, quo ætas nostra tertium & quinquagesimum annum compleuit, ex his quatuor scribendi generibus confectos libros edidimus, Poematum de Diuinis, humanisq; rebus libros septem: Verborum latinorum ex uarijs auctoribus Indicem, una cum Verborum Ciceronis quæ à Mario Nizolio prætermissa sunt Appendice: deinde Epithetorũ ex septem principibus Poetarum Commẽtarios: tum etiam in libros Regum, ac Paralipomenon de Theodoriti Cyrensis Episcopi sententia Quæstiones: postremo has in omnes Diuinos libros ex uarijs auctoribus Notationes, qui quidem omnes Petro Lombardo præstantis ingenij, ac doctrinæ uiro ætate superiores fuere, qui abhinc annis amplius quadringentis fuit: quiq; primus inter Theologos latinos Ioannem Damascenum sanctitate, omniq; omnium bonarum disciplinarum scientia ornatissimum secutus Theologiam ex uarijs scriptorum tum græcorum, tum latinorum monimentis conscriptam posteritati consecrauit. Et sané hoc nostrum ex ipsis diuersorum scriptorum fontibus haustum opus, præter iucundã tot scriptorum varietatem, hanc quoq; maximam legentibus vtilitatem affert, ꝙ aut eadem atq; alij, aut diuersa, aut certe aduersa, quæ nihil tamen Christianis dogmatibus officere possint, tradiderunt. Si eadem, vnus alteri suffragatur: si diuersa, diuersæ Diuinorum verborum explanationes eliciuntur: si aduersa, docti, atq; intelligentis existimatoris iudicium exercetur: dum studiose, diligenterq; attendit, cuius illorum oratio propius ad ueritatem accedat: cuiq; magis fides sit habenda. Quod ad locos Communes, qui inter Christianæ doctrinæ sectatores, atq; oppugnatores controuersi sunt, attinet, ea tantum Sanctorum Patrum testimonia in mediũ attulimus quæ à tot illustribus

noſtra memoria Chriſtianæ, atq; Catholicæ veritatis Defenſoribus in tam magno, ac locuplete labore aut conſulto tanquam ſibi non neceſſaria ſilentio prætermiſſa ſunt, aut certe eos ſubterfugerunt. quāquā (ut ut ſapientisſime ait Sanctisſimus Pontifex Bonifacius *) cui pauca Diuinarum ſcripturarum teſtimonia non ſufficiunt, neq; plura profecto proderunt.* Has igitur Notationes *ad te* Antoni Auguſtine *mitto, non ea quidem tantum ratione ut patrocinio tuo defendantur, ac non parua ex tuo nomine auctoritas libro accedat, ſed ea potisſimum de cauſa, ut, quantum in me eſt, ſummam obſeruantiā erga te meā nō his ſolum qui nunc ſunt, ſed futuris omnibus, ad quos mea ſcripta peruentura ſunt, perpetuo declarem, ad te inquam virū excellenti virtute, & literatura cumulate, atq; inſignite ornatum: quæ quidem ambæ inter ſe immortali quodam atq; indiſſolubili uinculo copulatæ te ad iſtum Clarisſimi muneris gradum, quo tot annos ſumma cum omnium laudatione, atq; approbatione perfungeris, euexerunt; cui tu tantum ſplendoris attuliſti, quantum bone ſtisſimæ familiæ tuæ, quæ per ſe ſemper præclara fuit, quantum illuſtri patriæ* Hiſpaniæ, *quantum huic omnium terrarum primariæ, ac florentisſimæ* Vrbi, *quæ te propemodum alumno gloriari poteſt, laudis, atq; ornamenti attuliſti.* Patere, *obſecro te, pro tua ſingulari iſta modeſtia, ut quæ ego tui ſtudioſus ex animo de te ſentio, apud omnes qui uirtutem, ac bonas literas colunt deſiderio immenſo, incredibili cupiditate, propēſisſimæ uoluntatis officio tandem aliquando aperiam, quibus ſanè laudibus ſingulatim enumerandis, extollendisq; tēpus terere ſuperuacaneum eſſe exiſtimamus; quandoquidem tui inſtituti eſſe ſcimus, malle te virum probitate præditum eſſe, quam dici: & libentius bene facere quam audire: quæ omnia in te præclara ut maxime omnibus perſpicua ſunt, ita minime egent ut in lucem à quoquā proferantur.* Præſertim *quum fax iſta tuæ virtutis, ac gloriæ ſeſe iam altius exerat, atq; (ut iam uidere uidemur) lucidisſimum ſplendorem longe, lateq; diffundat.* Neq; *vero mihi uerendum eſt, ut in te laudando aſſentationis ſuſpicionem, notamue incurram.* Etenim *quanta in te uitæ integritas, omniumq; bonorum morum ſanctisſima diſciplina, quanta præcipue benignitas, atq; beneficentia elucet, quæ in* Cauſis, *cōtrouerſijsq; audiendis, examinandis, iuſte, ſapienterq; diſceptandis, ac diiudicandis patientia, diligentia, incorrupta, atq; inuiolata* Iuſtitia. *Quæ uero hominem bene literatum, quiq; ſenſa ſua cum alijs non ſine laude communicare posſit efficiunt, ea ſumma in te ſunt.* Studiorum *asſiduitas quotidiana,* Ingenij *celeritas, atq; ſuauitas, literæ multæ, eæq; reconditæ, atq; interiores, & (quod caput eſt)* Iudicij *acrimonia in ſcriptoribus eligendis, æſtimandis, intelligendis, ex diuerſorum locorum, atq; exemplarium collatione caſtigandis, tum quantum unicuiq; in vna quaq; ſubiecta materia tribuendum ſit. quis infimo,*

quis medio, quis supremo ordine collocandus, quis perpetuo bonus Latinitatis auctor, quis in sententiarum acumine, ac grauitate, rerum plurimarum notitia, atq; intelligentia, verborum electione, ac numerosa collocatione magni faciẽdus sit. Nam quid ego de tuis scriptis, ac sempiternis monimentis commemorem? quæ Inuentionis, ac totius dispositionis accurata subtilitas, quæ sententiarũ grãditas, atq; frequentia, quã multiplici uarietate rerum cognitione dignissimarum distincta, elucubrata, referta oratio, qui verborum nitor, atq; ornatus, qui sonus numerose, atq; apposite cadens: ut deniq; bene latine, ornate, distincte, dilucide, scienter, atq; accomodate à te omnia explicantur: ut iure optimo in te illo Elogio uti possimus. Antonius Augustinus Iurisperitorum eloquentissimus, eloquentium Iurisperitissimus. Epistolæ finem faciam, si illud prius testatus fuero, me tibi eos honores exoptare, atq; precari, quos tuæ naturæ, ac moribus deberi sine ulla dubitatione intelligo, nec alieni sunt à Virtute, ad cuius laudem natus es, maximeq; omnium hominum institutus. **Vale.**

BASILIVS ZANCHIVS CHRISTIANO LECTORI .S.



VIA semper prima æternæ salutis via est, rectæ fidei normam, regulam, præscriptionē habere, atq; seruare, & à Patrum traditione ne transuersum quidem vnguem discedere: & Diuina Scriptura, quæ modo disperse, et diffu se, tum autem multis in locis varie, & dubie, atq; obscure locuta est, non ex sensu quem vnusquisq; sibi fingit (quantum ad dogmata pertinet loquor) vt hæreticorum semper temeritatis, atq; arrogantiæ fuit: vn de tot profanæ dogmatum nouitates exortæ sunt: sed ex sanctorum Patrum traditione, & ecclesiasticæ, atq; catholicæ fidei regula, ad quam omnium, quotquot de veritate Christiana recte senserunt, sapientia, atq; modestia semper se se formauit, ac direxit, intelligenda, atq; interpretanda est: eademq; ratione veterum Patrum scripta tum sæpenumero difficilia, tum etiam valde diffusa sunt, vt Christiana doctrina non nisi longo tempore, atq; exercitatione inde comparari possit: ideo in primis Christianæ fidei decreta, atq; sententiæ ex vna aliqua è Summis, quas vocant, illustrum Theologorum, maximeq; doctissimorū virorum iudicio Diui Thomæ Aquinatis, quantum satis est, ediscē dæ sunt: quia eas clare admodū, et in breui, et quod magni refert, recte atque ordine, ac summatim inde colligere atq; intelligere licebit. Tū vero his Ducibus, qui cōmonstrent, & digitum ad fontem intendant, ad ipsós sacros Christianæ Philosophiæ fontes accedendum est: vt vnde illi hauserunt, nos quoq; hac ratione tutius, atq; facilius hauriamus: tum vt Diuina, maximeq; veneranda auctoritate, certis atque idoneis testimonijs Theologicæ sententiæ confirmentur, ratæ, sanctæq; habeantur: tum etiam quia fontes illi tot prope habent sententias, ac Diuina mysteria, quot verba: mirandumq; in modum legentium, atq; audiē tium animos beata quadam, atque æterna voluptate perfundunt: dum rem ipsam, quasi geratur, sub aspectum subyciunt: atque ad amorem veri, ac boni accendunt: atque inflamant: & (quod caput est) vim quandam ad ea, quæ legeris, efficienda, atq; exequenda tibi afferunt. Summa hæc est, vt vetera vincant: veteribus non tantum vtamur, sed etiam oblectemur: atque in illis conquiescamus. Fontes autem hi sunt.

Post veteris ac noui Testamenti libros, vtriusq; scilicet editionis tam Græcæ, quam Latinæ, qua Romana, atque Apostolica Sedes vtitur, quia vtraque vna, atq; Diuina est, & ex vtraque Apostoli, viriq; Apostolici, & sanctita

te, atque doctrina excellentes testimonia pretulerunt, cam'q; suis expositionibus illustrarunt. Gregorius prologo in Iob, Augustinus de Ciuitate Dei libro. 18. Cap. 44,

Primum sacra Concilia omnia Romanae Sedi probata, cuiusmodi sunt quae vulgo extant.

Secundo loco omnes summorum Pontificum Epistolae, quas Decretales vocant, de Catholicae fidei, & sacramentorum explicatione. Gelasius dist. 15. Nicolaus dist. 19.

Tertio sancti Patres, Doctores, & Scriptores nominatim aut a sacrosanctis Concilijs ab Apostolica Sede receptis, aut à summis Pontificibus approbati.

Quorum non nulli quamuis in vno, atque altero dogmate, non pertinaciter tamen, lapsi sunt, vt Cyprianus, & Hieronymus, inter principes tamen semper in Ecclesia habiti sunt. Quocirca nullus ex sua propria opinione illorum dicta refellere, atque coarguere debet: sed adhibita aduersus eos reuerentia exponere, atque defendere. Istius vero generis, quantum lectione assequi potui, hi sunt.

Alexander Ales. Alexander. 4.

Amphilochius. Concilium Ephesinum, & 6. & 7. siue Nicenum. 2. & Martini Pont. Gelasius dist. 15. et Conciliorum tomo primo. Leo Epistola 95. Conciliorum tomo primo.

Ambrosius, vt supra.

Anastasius Antiochenus Episcopus. Concilium. 6. & 7. & Martini.

Antiochus Episcopus Ptolaemaidis. Gelasius in libro de duabus naturis.

Antoninus Archiepiscopus Florentinus. Leo. 10.

Antipater Episcopus Bostrensis. Concilium Nicenum. 2.

Asterius Amasiae Episcopus, vt supra.

Athanasius Alexandrinus Episcopus. Concilium Ephesinum, & 5. & 6. et Martini. Gelasius, Leo.

Atticus Episcopus Constantinopolitanus. Concilium Ephesinum.

Augustinus. Concilium 5. & 6. & 7. & Martini. Gelasius, Leo.

Basilius. vt supra.

Beda. Concilium Triburiense, & Maguntinum sub Carolo Magno, & Aquisgranense.

Benedictus Abbas. Gregorius I. & Zacharias.

Bernardus Abbas. In Extr.

Bernardinus Senensis. Nicolaus 5.

Bonauentura Cardinalis. Sixtus 4.

Constantinus Diaconus, et Chartophylax. Concilium 7.

Cyprianus. Concilium 6. Gelasius, Leo.
Cyrillus Alexandrinus. Concilium 5. 6. 7. & Martini, Gelasius, Leo.
Cyrillus Hierosolymitanus. Concilium 7. & Martini.
Dionysius Areopagita. Concilium. 6. & 7. & Martini, & Florentinum. Nicolaus 1.
Dionysius Alexandrinus Episcopus, & Martyr. Concilium 6.
Didymus Alexandrinus, Concilium 5.
Ennodius Ticinensis Episcopus. Nicolaus 1.
Epiphanius. Concilium 6. & 7. & Martini.
Euagrij Historia Ecclesiastica. Concilium 7.
Eulogius Alexandrinus Episcopus. Concilium 6. & Martini.
Eusebij Cæsariensis Chronica, et Ecclesiastica Historia. Gelasius. Damnatus est in Cōcilio 7.
Euphemius Episcopus Antiochenus. ut supra.
Eustathius Episcopus Antiochenus. Concilium 7. Gelasius de duabus naturis.
Fulgentius. Concilium Toletanum 8. & Moguntinum sub Carolo Magno.
Germanus Episcopus Constantinopolitanus. Concilium 6. & 7.
Gregorius Neocæsariensis Episcopus, & Martyr. Concilium Ephesinū. et 6.
Gregorius Naziāzenus. Concilium Ephesinum, & 5. & 6. & 7. & Martini, Leo, Gelasius.
Gregorius Nyssenus. ut supra.
Hieronymus. Concilium 7. & Moguntinum, & Aquisgranense, Gelasius, Leo.
Hippolytus Martyr, & Episcopus Arabum metropolis: Concilium Martini, Gelasius de duabus naturis.
Hilarius Episcopus Pictauiensis. Concilium 5. & 6. & Martini, Gelasius, Leo.
Ignatius. Gelasius de duabus naturis.
Ioannes Chrysostomus. Conciliū 5. & 6. & 7. & Martini, Gelasius, Leo.
Ioannis Diacrynomij Historia Ecclesiastica. Concilium 7.
Ioannes Episcopus Scythopolitanus. Concilium 6. & Martini.
Ioannes Episcopus Gabalonensis. Concilium 7.
Ioannes Episcopus Thessalonicensis. Concilium 7.
Isidorus Abbas Pelusiota optimus Chrysostomi auditor. Concilium 7.
Isidorus Hispalensis. Concilium Toletanum 8. & Aquisgranense, Leo 4. dist. 20.
Iustinus Martyr. Concilium 6. & Martini.
Iuuencus Poeta. Gelasius.
Leontius Neapolis, quæ in Cypro est, Episcopus. Concilium 7.

Leporius Presbyter. Ioannes I Pont. libro de duabus naturis in Christo.
Maximus Constantinopolitanus. Concilium 7. Nicolaus I.
Methodius Episcopus, & Martyr. Concilium 7.
Nilus monachus Pelusiota, qui Chrysostomum audiuit, Concilium 7.
Origenes ab Hieronymo versus. Gelasius.
Paschasius Diaconus Romanæ Ecclesiæ. Gregorius Dialogorum libro. 4.
Paulus Orosius. Gelasius
Petrus Alexandrinus Episcopus & Martyr. Concilium Ephesinum, et 7.
Proclus Episcopus Constantinopolitanus. Concilium Chalcedonense, et 5.
Prosper. Concilium Aquisgranense, Gelasius.
Proterius Episcopus Alexandrinus, et Martyr, Gelasius.
Rufini Historia Ecclesiastica. Concilium 7.
Seuerianus Episcopus Gabalorum. Concilium Martini, Gelasius de duabus naturis.
Sedulius. Gelasius.
Socratis Historia Ecclesiastica. Concilium 7.
Sophronius Hierosolymitanus Archiepiscopus. Concilium 7.
Stephanus Episcopus Bostrensis. Concilium 7.
Theodorus Episcopus Ancyranus. Concilium 7.
Theodori Lectoris Historia Ecclesiastica. Concilium 7.
Theophilus Alexandrinus Episcopus. Concilium Ephesinum. et 5. et 6. et Martini, Gelasius, Leo.
Thomas Aquinas. Innocentius tertius, Vrbanus sextus.
Thomas Valdensis. Martinus 5.
Timotheus Alexandrinus Episcopus. Concilium 6.

Cæteri omnes Christiani Scriptores iusta cum laude, ac ueneratione legantur, et nominentur, qui de fide cum sacris illis auctoribus congruunt: quiq; eorum testimonia recte intellecta fideliter, atque prudenter in medium proferre norunt. Deinde illud omnes admonendi sunt: vniuersum, et communem, perpetuumq; Sanctorum patrum cõsensum, quæq; eodem Diuino Spiritu afflati scripserũt pro Ecclesiastica doctrina sine vlla dubitatione suscipiẽda esse, ac veneranda: ea vero pro dubijs habenda, de quibus aut certa Diuinarum literarum testimonia adduci non possunt: aut de quibus Sancti patres, et Catholici Doctores inter se discrepant: aut deniq; ab Ecclesia nondum sunt declarata, ac definita. **Vale.**

AVCTORES Ecclesiastici diuulgati, præter Sacrosancta Concilia, & summorum Pontificum Epistolas, ex quorum fontibus hæc hausimus: quæ illi quasi prætereuntes literis cōsecrarunt: omnes vero reliqui consulto à nobis prætermissi sunt.

GRAECI.

Agapetus Diaconus.
Andreas Hierosolymitanus Archiepiscopus Cretensis.
Antiochus Monachus.
Antonius Abbas.
Arethes Cesareæ Cappadociæ episcopus, auctor libri quam Catenā auream uocant in Apocalypsim.
Athanasius episcopus Alexandrinus.

LATINI.

Auctor incertus libri qui est inscriptus, Altercatio Ecclesiæ, & Synagogæ.
Auctor incertus cuius opus sub Timothei nomine editum est.
Agnellus episcopus.
Aimo episcopus Alberstatensis.
Alcimus Auitus episcopus Viennēsis.
Alcuinus, siue Albinus abbas.
Algerus Monachus.
Ambrosius episcopus Mediolanensis.
Ambrosius Ansbertus Monachus.
Amularius Fortunatus archiepiscopus Treuerensis, vel, ut alij volunt, Metensis.
Angelomus Monachus.
Anselmus episcopus Cantuariensis.
Antoninus episcopus Constantiniensis
Aponius.
Arnobius Rhetor.
Aurelius Augustinus Episcopus Hipponensis.
Aurelius Clemēs PrudētiusPresbyter

GRAECI.

Basilius Magnus Episcopus Cæsariensis.

LAATINI.

Beda Monachus, & Presbyter.
Benedictus Abbas.
Bernardus Abbas
Brucardus Episcopus Vormaciēsis

GRAECI.

Clemens Martyr, & Pontifex.
Clemens Presbyter Alexandrinus.
Cyrillus Archiepiscopus Alexandrinus.

LATINI.

Cæcilius Cyprianus martyr & Episcopus Carthaginensis.
Cæsarius Episcopus Arelatensis.
Cassiodorus Abbas.
Cerealis Episcopus Afer.
Chromatius Eps Aquileiensis.
Claudianus Mamercus Episcopus Viennensis

Claudius Marius Victorinus Massiliensis.
Cyprianus Orator vide Cæcilius,

GRAECI.

Dydimus Alexandrinus.
Dionysius Areopagita Martyr, & Episcopus Athenienisis primum, de inde Parisiensis.
Dorotheus abbas.

LATINI.

Drogo Episcopus Hostiensis.

GRAECI.

Egesippus.
Ephræm Monachus, & presbyter
Epiphanius Cypri Salaminæ vrbis episcopus.
Eucherius episcopus Lugdunensis.
Eusebius episcopus Cæsariensis.
Eusebius Emesenus episcopus, cuius bonā Orationum partem Hilario Arelatensi episcopo ascribēdā censeo.
Euthymius Monachus Zigabenus

LATINI.

Ericus Monachus.
Ennodius Ticinensis episcopus,

LATINI.

Faustinus Presbyter.
Faustus episcopus Reginēsis in Gallia
Ferrandus Diaconus.
Freculfus episcopus Lexouiensis.
Fulgentius episcopus Ruspensis.

GRAECI.

Gregorius Neocæsariensis episcopus.
Gregorius Arrianzenus, Nazianzenus episcopus
Gregorius Nysenus Episcopus.

LATINI.

Gaudentius episcopus Brixianus.
Gelasius Pontifex.
Gilbertus Abbas.
Gregorius Pontifex.
Gregorius Turonensis episcopus.
Guimundus Auersanus episcopus.

GRAECI.

Hermes, siue Pastor.

LATINI.

Hesychius Presbyter, & Monachus.
Hieronymus Presbyter.
Hilarius Pictauiensis Episcopus

GRAECI.

Ignatius Martyr, & Episcopus Antiochenus.
Ioannes Chrysostomus Episcopus Cōstantinopolitanus.
Ioannes Scolastichus cognomento Climachus Monachus.
Ioannes Damascenus.
Irenæus Martyr, & Episcopus Lugdunensis. Auctor D. Hiero. in. 64. cap. Esaiæ, & proœmio Libri. 18, in Esaiā, itemq; i i epistola ad Magnum Oratorem.
Isaac Monachus Syrus
Iustinus Martyr.

LATINI.

Idacius Clarus Lemouicensis Eps.
Ioannes primus Pontifex.
Ioannes Cassianus Presbyter.
Isidorus Hispalensis Episcopus. Cuius opus quod de summo bono imperite inscribitur, ex auctoritate Concilij Toletani. xi. sententiarum inscribendum est.
Iulianus Pomerius Eps Toletanus.

Iunilius Episcopus Afer.
Iustus Orgelitanus Episcopus
Iuuencus Presbyter.

GRAECI.

Leontius Neapolis Cypri Eps.

LATINI.

Lactantius Firmianus.
Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis.
Laurentius Presbyter Nouarum.
Leo Tertius Pontifex.
Liberatus Ecclesiæ Carthaginēsis Archidiaconus.
Lucas Abbas.

GRAECI.

Marcus Eremita.
Martialis Apostolus.
Maximus Emesenus Constantinopolitanus Episcopus.

LATINI.

Martinus Episcopus, Bracarensis.
Maximus Episcopus Taurinensis.
Maxentius Ioannes monachus.
Minutius Felix, cuius Dialogum, qui Octauius inscribitur, falso in octauum Arnobij aduersus Gentes Librum retulerunt.

GRAECI.

Nemesius Emesenus episcopus Cuius volumen de Natura Hominis in Gregorij Nysseni nomen irrepsit, ad quē etiam (opinor) epistolæ Basilij Magni & Gregorij Nazāzeni extant, quēq; in hoc ipso opere de Natura Hominis testem adducit Anastasius Antiochenus episcopus eo libro qui ὁδηγὸς inscriptus est.

GRAECI.

Oecumenius auctor libri, quam Catenam Auream vocant in acta Apostolorum, & Paulum, & Epistolas catholicas.
Olympiodorus.
Origenes, qui & Adamantius, Presbyter.

LATINI.

Odo Cameracensis Episcopus.
Optatus episcopus Mileuitanus

GRAECI.

Palladius Episcopus Helenopolitanus
Pantoleon Diaconus Constantinopolitanus.
Petrus Martyr Archiepiscopus Alexandrinus.
Proclus Constantinopolitanus Episcopus.

LATINI.

Pacianus Barcilonensis episcopus.
Paschasius Diaconus.
Paulinus Nolanus episcopus.
Paulus Orosius.
Petrus Chrysologus Episcopus Rauennas.
Petrus Cluniacensis, Abbas.
Petrus Damianus Episcopus Cardinalis Hostiensis.
Philastrius episcopus Brixianus.
Philippus Presbyter.
Primasius episcopus Afer.
Prosper episcopus Reginensis.
Prudentius, vide Aurelius.

LATINI.

Q. Septimius Florens Tertullianus Presbyter.

LATINI.

Rabanus Maurus episcopus Moguntinus.

Radulfus Flauiacensis Monachus.

Remigius Altisiodorensis Monachus.

Ricardus Pampolites.

Ricardus victorius Monachus.

Rufinus Toranus Presbyter.

Rupertus Tuitiensis Abbas.

GRAECI.

Socrates Scholasticus.

Suidas.

LATINI.

Saluianus Massilienensis Presbyter.

Sedulius Presbyter.

Smaragdus Abbas.

GRAECI.

Tatianus Syrus.

Thalassius Monachus.

Theodoretus Cyrensis episcopus.

Theophilus Alexandrinus episcopus.

Theophilus Antiochenus episcopus.

Theophylactus Bulgarorum episcopus

Timotheus episcopus, vide Auctor Incertus.

LATINI.

Tertullianus, uide. Q.

LATINI.

Vgo Victorius.

Victorinus Martyr Pitabionensis episcopus.

Victorinus Afer Rhetor.

Victorinus Massiliensis, vide Claudius.

Victor Episcopus Vticensis.

Vigilius Martyr, episcopus Tridentinus.

Vincentius Lirinensis Presbyter.

Vualafridus Abbas.

LATINI.

Zeno episcopus Veronensis.

BASILII ZANCHII IN OMNES DIVINOS LIBROS EX VARIIS AVCTORIBVS NOTATIONES.

IN VETVS TESTAMENTVM.

IN GENESIM.

IN CAPVT PRIMVM.



N Principio creauit Deus cœlum, & terram.) THEO PHIL. ANT. Lib. secundo ad Autolycum. Moyses vero, qui multis annis præcessit Salamonem, immò sermo Dei per Moysen inquit. In principio creauit Deus cœlum, & terram. Primo quidem Principium, & eius creationem nominauit: deinde ipsum Deum posuit. Non enim fas est Deum teme re, & ottose nullo opere subiecto nominare. Nam Diuina Sapientia prænoue rat fore qui ineptias effutirent: & multitudinem Deorum introducerent. Vt igitur Deus qui uere est ex operibus suis deprehenderetur, & constaret Deum Sermone suo creasse cœlum, ac terram, scriptum est. In principio creauit Deus cœlum, ac terram. IDEM INFRA. Prætrea quod à terrestribus & infimis telam creationis vniuersorum exorditur, humano more facit: siquidem ea omnia planè humilia, & infirma sunt respectu Dei. Nam homo qui in ima Mundi regione est, super terram ædificium ponere solet: nec nisi fundamentis iactis, fastigium ædificio imponere potest. Cæterum Dei po tentia hinc innotescit: nam ex his quæ non sunt facit, ut libitum est, quæ vult, quæ enim apud homines sunt impossibilia, apud Deum possibilia habentur. qua propter Propheta testatur creationem Cœli factam esse primo: non ut homi num more fit, sed in modum fastigii: dicit enim: In principio creauit Deus cœ lum, id est, Principio conditum est cœlum, quemadmodum supra edocuimus: Terram dicens, intelligit fundamentum, & quasi pauimentum. CHRY SOST. Tom. quinto, Hom. septima. Cum igitur audieris, quod in prin cipio fecit Deus cœlum, & terram; ne simpliciter dictum prætercurras: sed terræ magnitudinem mente percurre: & reputa quã lautã nobis et opimã pro duxit mensam: & multam passim nobis delectationem præbuit: &, quod qui dem est maximum, quod in nullorum laborum retributionem dedit; nec in meritorum præmium tantum, & talem Mundum; sed pariter nos finxit; & hoc regno genus nostrũ honorauit. AVCT. INCERT. ALT, Cap. tertio. In principio creauit Deus cælum, & terram: hoc est: in Verbo

suo cœlestia corpora simul, & terrestria procreauit: regnaturis secum in cœlis superiora, relinquendis in terra inferiora disponens. Itaq; cœli, & terræ nomine intelligitur vniuersitas totius creaturæ, idest rerum visibilium, & inuisibilium, & insensibilium, rationabilium, & rationis expertium. Creationem vero insinuans scriptura, primo verbo æternitatē, & omnipotentiam Dei ostēdit. quem enim in principio temporum mundum creasse, eundem ante tempora æternaliter significat extitisse: & quem conditionis initio creasse narrat, tanta claritate operationis omnipotentem esse declarat: cui voluisse, fecisse est. Per terram autem designat duo grauiora elementa scilicet terram, & aquā: per cœlum vero duo leuiora elementa; subaudi aerem, & ætherem: Vnde dici solet, aerium cœlum, & ætherium: sicq; per nomina extremorum elementorum significantur ea, quæ in medio sunt.

¶ Terra autem erat inanis, & vacua) THEOPHIL. ANT. Lib. secundo ad Autolycum. Postea, ut eorum creatio pateret, ait. Terra autē erat inuisibilis, & incōposita &c. Hæc in primis diuina scriptura docet, materiam à Deo esse quodam modo factam, ex qua Mundum constituit, & in decentem ordinem redegit.

¶ Tenebræ erant super faciē Abyssi) IDEM

Lib. secundo ad Autolycum. Abyssum nominans, aquarum multitudinem, & abundantiam repræsentat: tenebras dicit, propterea quod cælum à Deo factū aquas vna cum terra instar operculi operuerat.

¶ Et spiritus Domini ferebatur super aquas) IDEM

Liber secundo ad Autolycum. At Spiritum qui ferebatur super aquas, dicit, quem dedit Deus creaturæ, ut eius opera posset producere viuentia, quemadmodum homini animum, tenui tenue commiscens. spiritus enim tenuis est; itemq; aqua tenuis: vt spiritus aquam nutriret: aqua vero una cum spiritu in omnes partes permeans creaturam nutriret. unum quidem spiritum lucis formam tenentem inter cœlum, & aquam medium constituit, ne quodam modo tenebræ quicquā cum cœlo commune haberent, quod Deo magis proximum est, antequam Deus diceret, Fiat lux. PASC. DIAC. De Spiritu sancto lib. primo, Cap. quinto. Suscipe de sacris uoluminibus Trinitatem. In principio creauit Deus cœlum, & terram: & spiritus Dei ferebatur super aquas. Pater auctor: æquæuum principium: superfusus aquis Spiritus sanctus. super aquas itaq; dominantis eminentia ferebatur: iam tunc, credo, Baptismi munera figurans.

¶ Dixitq; Deus: fiat lux: & facta est lux) ISID. Sententiarum lib. primo,. Cap. decimo. Si transitorie dictum est à Deo: Fiat: erat vtique creatura aliqua, unde iam talis fieret uox: sed quia antequam diceret: Fiat. nulla ex

titit creatura, ipsum. Fiat, quod dictum est, in æternitate Verbi, non in uocis so no enunciatum est. THEOPHIL. ANT. lib secundo ad Autolycũ. Cæterum principium operis lux est: siquidem res in Mundum productas lux patefacit. Quapropter inquit: Et dixit Deus: Fiat lux: vt pote quæ aspectu delectabilis homini futura esset. DION. AR. De Diuinis Nominibus cap. quarto. Ipsa enim lux Solis est ea lux (& si tunc erat informis, quod & diuinus Moyses ait) quæ primã distinxit, et diffiniuit dierũ nostrorum trinitatẽ.

¶ Appellauitq; Deus Lucem, Diem: & Tenebras, Noctẽ) THEOPHIL. ANT. Lib. secundo ad Autolycum. Nullus enim mortalium Luci, aut Tenebris nomina imponere sciuisset: sed ne reliquis quidem, nisi à Deo, qui illa effecerat, nominationem accipissent.

¶ Dixit quoq; Deus: Fiat Firmamentum in medio aquarum: & diuidit aquas Et fecit Deus Firmamentum: diuisitq; aquas quæ erãt sub Firmamento ab his, quæ erant super Firmamentum: & factum est ita: vocauitq; Deus Firmamentum, Cœlum) IDEM Libro secundo ad Autolycũ. Primo autem loco ubi scriptura sancta historiam, generationemq; mundi pertractat, non loquitur de isto Firmamento, sed aliud quoddam cœlum nobis minime aspectabile proponit: post quod cœlum hoc nobis aspectabile Firmamẽtum appellat: in quo dimidium aquæ eleuatum est, vt humano generi pluuias, & imbres, & rores præberet: dimidium uero aquæ in terra receptum est; ut flumina, & fontes, & maria efficeret. IVNIL. De partibus diuinæ legis. Quædam ex nihilo facta sunt, ut cœlum, & terra, & cætera quæ usq; ad cõpletum diem primum diximus facta: quædã uero ex iam factis primo die. quia quotiens scriptura ex aliquo factas res cupit ostendere; aut palam significat: ut est; Producat terra, & Producant aquæ, & similia: aut certe ex subtili significatione verborum, ut cum dicit, Fiat Firmamentum: utiq; significat aliquid fuisse fluidum, aut liquidum; id est, aquas: quæ ut solidatæ ostenderentur, Firmamentum vocatum est quod fiebat: & rursus LVMINARIA, deriuatiue appellauit quæ quarto die facta sunt: ut ex lumine primo die operato facta monstraret. In his autem quæ primo die facta sunt, neq; aperte, neq; subtili uerbo factum aliquid declaratur ex altero.

¶ Crescite, & multiplicamini, & replete terram) CHRYSOT. Tom. tertio Homil. De Proditione Iudæ. Sicut illa uox quæ dixit, crescite: & multiplicamini: & replete terram: semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura. &c.

¶ Faciamus Hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.) MAX. CONST. de Charitate centuria tertia. Propter hanc etiã secundum imaginem, & similitudinem Dei homo factus esse perhibetur; secundum imaginẽ,

ut existens: & ut semper existens semper existētis: licet non sine principio, sine fine tamen, secundum similitudinem uero, ut bonus, boni; & ut sapiens sapientis; illius quidem natura, ipse uero ex gratia. Ac omnis quidem natura quæ ratione prædita est, ad imaginem Dei existit: boni uero, & sapientis ad similitudinem tantummodo esse existimandi sunt. T A T. *contra Gentes.* *Verbum Filius Patris ad imitationē genitoris sui Hominē imaginē immortalitatis efficit: ut quemadmodū immortalitas apud Deum est; eadem ratione homo quoq; immortalis existeret.* G R E G. P O N T. *lib. nono in Iob. cap. 36.* *Notandum uero est, quia per hoc quod se plasmatum Dei manibus asserit, misericordiæ Iudicis dignitatem suæ conditionis opponit. Quamuis enim per coæternū* Patris *Verbum cuncta creata sint, in ipsa relationis creatione ostenditur quantum cunctis animalibus, quantum rebus vel cælestibus, sed tamen insensibilibus homo præferatur. cuncta quippe dixit, & facta sunt: cum uero facere hominem decernit, hoc quod reuerenter pensandum est, præmittit dicens.* *Faciamus* Hominem *ad imaginem, & similitudinem nostram. Neq; enim de eo sicut de rebus cæteris scriptum est:* Fiat, *& factum est: neq; ut aquæ, uolatilia, sic terra hominem protulit: sed priusquā fieret,* Faciamus, *dicitur: ut uidelicet quia rationalis natura condebatur, quasi cum consilio facta uideretur. quasi per studium de terra formatur, & inspiratione conditoris in uirtute spiritus uitalis erigitur: ut scilicet non per iussionis uocem, sed per dignitatem operationis existeret, qui ad conditoris imaginem fiebat.* P R V D. *in Apotheosi.*

Hæc similis uelut umbra Dei est: sic ipse locutus
Factor, utroq; Hominem *meditans de figmine iunctum*
Aedificare sui similem: sed non habet umbra
Quod corpus solidum, cuius imitatio in umbra est;
Atq; aliud verum est, aliud simulatio veri.
Est similis, sæclis quod non consumitur ullis:
Quod sapiens, iustiq; capax; regináq; rerum
Imperat; ante videt; perpendit; præcauet; infit,
Verborum, *morumq; opifex, instructaq; mille*
Artibus, & cælum sensu percurrere docta.
His animam similem sibi conditor effigiauit:
Cætera dissimilem: namq; hanc comprendere prōptum ast.

C R Y S O S T. *Tom. tertio de Trinitate.* Vide, oro, *testimonia sanctæ, et consubstātialis* Trinitatis: *& venerare illam recte, ne pereas.* Et *dixit, inquit,* Deus Faciamus *hominem secundum imaginem nostram, & secundum similitudinem.* Cum *quo consilium init* Deus? *cum* Angelis, *inquit:* At *non habēt* Angeli *imaginem* Dei. Loquitur *autem ad coopificem* Filium, *&* Sanctum

ſpiritum. Et ut veritas hæc tibi perſuadeatur, audi Pſalten dicentem Verbo Domini cæli firmati ſunt. & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Non ignoras autem verbum eſſe Filiū: dicit enim Ioannes Theologus: Et Deus erat Verbum. & de Spiritu: Spiritus eſt Deus. Dicit igitur Deus, & Pater Deo Filio, & Deo Spiritui ſancto; Faciamus Hominem ſecundum imaginem noſtram: & non dixit meam, et veſtram, neq; meam, & tuā. Significans autem ſcriptura eſſe unam imaginem ſanctæ Trinitatis, dicit. Et fecit Deus Hominem, ſecundum imaginem Dei fecit illum: ſicut & pater clamat de Filio: Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & character ſubſtantiæ eius. Et iterum: qui eſt imago Dei inuiſibilis. IDEM. *Tom. quinto Hom. Septima ad Populum Antiochenum Quid eſt, ad imaginem noſtram? principatus imaginem dixit: vt quemadmodum nullus in cœlo eſt Deo ſuperior: ſic ſuper terram nullus ſit Homine ſuperior.* HIER. *libro tertio in Eſaiæ cap. ſextum. Quando autem ex Dei perſona dicitur, nobis, illo ſenſu accipiendum eſt, quo & in Geneſi legitur, Faciamus &c. Vt ſacramentum indicet Trinitatis. Quomodo enim in Euangelio legimus dicentem dominum, Ego, & Pater unum ſumus; & vnum, ad naturam referimus, ſumus, ad perſonarū diuerſitatem: ſic Domino iubente Trinitas imperat.* VGO. *Tom. ſecundo de Inſtitutione Monaſtica cap. 15. Anima rationalis, & intellectualis facta eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei, ut factorem ſuum pro imagine cognoſcat: & pro ſimilitudine diligat, Ex imagine namq; Dei habet rationem; & ex ſimilitudine charitatem.* CYP. *Tom. primo De habitu Virginum. Dicit Deus: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & audet quiſq; mutare, & conuertere quod Deus fecit? Manus Deo inferunt, quādo illud quod ille formauit, reformare, & transfigurare contendunt: neſcientes quia opus Dei eſt omne quod naſcitur: diaboli quodcunq; mutatur.* EPIPH. *contra hæreſes lib. tertio Panarij, Contra ſectam Audianorum. Quapropter non conuenit omnino decernere, aut affirmare in qua parte id, quod ſecundum imaginem eſt, impletur: ſed confiteri id quod ſecundum imaginem eſt, eſſe in Nomine, vt ne gratiam Dei reprobemus, & Deo diffidamus. Quæcūq; enim dicit Deus, ea uera ſunt, etiam ſi fugerint noſtram intelligētiā.* FAVST. *de libero arbitrio lib. ſecundo. cap. ſeptimo. Imago ergo Dei dicitur, quia ei indulgenter, ac dignanter inſeruit Veritas Iuſtitiam; Ratio Sapientiam, Perennitas Aeternitatem. De imagine Dei eſt, quod intelligit, quod rectum ſapit; quod inter malum, & bonum iudicio examinante diſcriminat, & cū Dei bonitas, miſericordia, patientia, atq; iuſtitia ſit; quanto quiſq; magis iuſtus, ac patiens inuenitur, tanto magis Deo ſimilis approbatur: cuius utiq; ſimilitudo non in vultibus, ſed in virtutibus poſſidetur.* PAVL. Epiſtol.

secunda. Ideo conformatus est corpori carnis nostræ, quæ peccato seruiebat; ut nos conformaret corpori carnis suæ; quæ peccatum non fecit: ut vere ad originalem gloriam reformemur, si diuinam similitudinem Christi imitatione capiamus. Nam in Adam solam nobis imaginem remansisse, ipsa, quæ opificium diuinæ manus narrat, Genesis ostendit: in qua similitudo cum imagine Dei in ipso adhuc hominis faciendi molimine nominatur: sed capite subsequenti quo iam factus homo tantum ad imaginem Dei scribitur, similitudinem quasi peccaturo fuisse subtractam indicat profecto futuri præscientia: ut reseruetur hominibus in Christo, qui per obedientiam pietatis suæ reconciliauit Patri Mundum quem inconciliauerat primi parentis inobedientia. PASC. *De Spiritu sancto lib., primo cap. quinto. In faciendo quoq; homine, non vnius, sed trium personarum opus esse demonstrat trina repetitio deitatis. Ita enim legimus, Et dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Aduerte sententiam in præpositione simplicem: in responsione multiplicem. Et dixit Deus: Faciamus hominem. Quid est aliud, nisi quia substãtia veritatis loquitur, & potentia Trinitatis operatur? Perspice quomodo trina uice nomen Dei in creatione hominis nuncupatur. Sic enim habemus in Genesi. Et dixit Deus: Faciamus hominem. Et iterum: creauit Deus hominem. Et tertio: Benedixit ei Deus. Dixit Deus: fecit Deus: benedixit Deus. Propter tres persones ter iteratur vna Diuinitas. Quo loco euidenter mysterium etiam Trinitatis intellige. Ecce imago Dei, & similitudo vnicuiq; homini à tribus datur: & tamen una esse dinoscitur. Dixit Deus, Faciamus. Diligenter attende: dum unus facit; dunq; iterum singulari plurale permiscet; non dicit, ad imagines & similitudines nostras, uel certe ad imaginem, & similitudinem meam; vnitatem singularitate, trinitatem pluralitate commendat. Itaq; in eo quia dicit: Faciamus hominem ad imaginem nostram, personarum numerus explicatur: in eo quia singulariter ad imaginem & similitudinem, in vnam substantiam diuinitas indiuisa colligitur.* DOROTH. *Sermone primo. Ad imaginem quippe suam fecit Deus hominem, immortalẽ scilicet, liberũ, ornatũomni uirtute.* DAMASC. *De Fide lib secũdo, cap. 12 Ex uisibili et inuisibili natura proprijs manibus plasmauit hominẽ Deus ad suam imaginem, & similitudinem. ex terra quidem corpus fingens: animã uero rationalem, ac intellectiuam propria insufflatione illi elargiens, quod sane diuinam imaginem dicimus. nam id, Ad imaginem, intellectuale ostendit, & liberæ voluntatis arbitrij potestatem: hoc autem, Ad similitudinem, ostẽdit per virtutem (quantum homini possibile est) assimilationem.* PHILASTR. *De Hæresibus. Imago enim Dei, id est anima omnis hominis facta ex nihilo, similitudo autem in fide, & uita, nisi cognita fuerit à Deo, appellari non po-*

test Deo imago similis. RVP. *De diuinis officijs lib. sexto, cap. quarto. Ad imaginem Dei homo factus est, in eo quod rationalis est; ad similitudinem uero, in eo quod Diuinæ bonitatis imitator conditus est. Imago nanq; Dei, vel figura substantiæ eius, sicut Apostolus ait, Filius est: Bonitas autem, vel charitas Dei, & imaginis eius, Spiritus sanctus est. Idcirco non est dictum; Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem meam, sed ad imaginem & similitudinem nostram: quia similitudo non unius tantum, sed duarum personarum, scilicet Patris, & Filij est: imago autem nõ duorum, sed unius, scilicet Patris, est. Filius nanq; Patris tantum, non etiam spiritus sancti Filius est: spiritus autem sanctus non solum Patris, sed & Filij Spiritus est.* FREC. *Chronicorũ Tom. primo. cap. 3. Igitur inter imaginẽ, & similitudinem hoc distat, quod imago Dei in immortalitate animæ est; vnde etiam anima peccatrix imago Dei esse non desistit; similitudo in moribus constat; quamobrem non nisi anima sancta similitudinem Dei habet. in eo enim suo creatori similis est, in quo Angelis sanctis erit æqualis.* AVCTOR INC. ALT. *cap. quarto. Est ergo imago Dei in ratione, & immortalitate, similitudo in morum sanctitate, & iustificatione.* IBIDEM. *Fecit ergo Deus hominem ad imaginẽ, & similitudinem suam: vt sicut ipse præest vniuersæ creaturæ per omnipotentiam; sic homo terrenis omnibus per intelligentiam.* IBIDEM. *Attende o homo beatum summi artificis soliloquium. Faciamus, inquit, hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Magnum ibi sanctæ Trinitatis de homine creando consilium: nec quicquã eorum quæ circa nos acta, uel agenda orãt, illic defuit. Omnis ibi nostra in medio causa posita est; siue perditio subita, seu salus post affutura: & inde totum istud consilium habitum, ut unaquæq; persona suam operis partem susciperet: ut, sicut iam dictum est, tunc quidem Pater conderet; postea in plenitudine temporis Filius perditum redimeret: Spiritus remissionem, & carnis resurrectionem perficeret: atq; ita communi sanctæ Trinitatis cõsilio reædificarentur in homine deserta sæculorum: & fundamenta generationis, & generationis suscitarentur.* AMBROS. EPISC. *in Psalmum. 118. Sermone decimo, Quod enim secundum imaginem est, nõ est in corpore, nec in materia, sed in anima rationabili. Ibi operatur, ibi ostenditur homo ad similitudinem, & imaginem Dei, ubi iustitiæ, ubi sapientiæ, ubi omnis forma uirtutis assumitur.* CLAVDIAN. *De statu animæ lib. primo. cap quinto. De vero homine, hoc est de hominis anima quærimus. non est hæc æqualis Deo, sed similis: utiq; similis, quantum incorporea incorporeo: inferior, quantum creata creatori: similis quantum intellectualis lux luci intelligibili; quantum mutabilis creatura immutabili creatori dissimilis. Aliud nãq; est ueritas, aliud imago veritatis. Sed sicut rei corporeæ nulla imago esse*

potest nisi corpus; ita nequaquã imago incorporei inuenitur in corpore. IBIDEM. *cap. 26.* *Ad istam, quod unus Deus sumus, tu homo factus es Trinitatem, cum dictum est: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Intro inspice te de te ipsa o humana anima, & te memorare: vide mentem tuam: uide verbum tuum: uide uoluntatem tuam.* CYRIL. *Thesauri lib. primo. cap. primo. Præterea beatus ille Moses creationem hominis narrans, Deum inducit dicentem: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Cum igitur, nostram, dicat, duo signat; vna scilicet Spiritu quoq; sancto intellecto.* IDEM *contra Iulianum lib. primo. Etenim diuinus Moses à spiritu sancto eruditus, ad futura spectans præintellexit fidei nostræ mysteria. & quomodo hoc? dicam. Nam quia in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, hoc est in consubstantiali intelligitur Trinitate vna, & ineffabilis, & inexcogitabilis Dei natura, ut nequis ex ingenti stoliditate stulte deceptus, secundum imaginem quidem dicat, & similitudinem Dei Patris hominẽ, factũ, & nõ etiã Filii. Quod si è diuerso quis suspicaretur, et diceret quidem secudũ similitudinẽ Filij factum esse hominẽ, sed non item Patris: Præuidens inquã, ut dixi, olim fore quosdã sic nugaturos, ipsã dixit sanctã Trinitatẽ sibi ipsi locutã: Faciamus hominẽ secundũ imaginem nostrã, & similitudinẽ: ut ad totã intelligatur formatus, mentaliter, videlicet, ineffabilẽ Deitatis naturã.* AVCTOR. *Hoc loco nõ erit alienũ, neq; iniucundũ præter institutũ nostrũ sub aspectum subijcere quibus coloribus, quo ve penicillo duo Christiani illustres poetæ præclarissimam hanc hominis imaginem, atq; similitudinẽ pinxerint, atq; expresserint.* ALCIMVS AVITVS. *de origine Mundi.*

Tum demum tali Sapientia uoce locuta est.
En præclara nitet mundano machina cultu:
Et tamen impletum perfectis omnibus orbem
Quid iuuat vlterius nullo cultore teneri?
Ergo longa nouam ne foedent otia terram,
Nunc formetur Homo: summi quem tangat imago
Numinis: & nostram, celso donatus honore,
Induat interius formosa mente figuram.
Hunc libet erectis sublimen incedere plantis:
Qui regat æterno subiectum pondere mundum.

CLAVDIVS MAR. VICT. *In Genesim libro primo.*

Nunc Hominem faciamus, ait, qui regnet in orbe;
Et sit imago Dei. Similem decet esse creanti,
Liber ad arbitrium fruitur qui mente creatis.

Viditq; Deus cuncta quæ fecerat: & erant valde bona) ISID. *Sententiarũ*

tentiarũlib. primo Cap. decimo. Attende, *vniuersaliter creaturam in principio valde bonam vocari, singulariter vero tantum bonam. quia & membra corporis cum sint singula bona; maius tamen bonum faciunt, dum singula omnia ualde bonum corpus efficiunt.*

IN CAPVT SECVNDVM.

¶ *Sed fons ascẽdebat è terra, irrigãs vniuersam superficiẽ terræ)* NICOL. Ad Michaelem Imp. *Plenæ sunt enim sanctæ scripturæ tali forma locutionis. Deniq; scriptum est: Fons ascendebat è terra, irrigans omnem superficiem terræ. Qui enim non ait, Vnus fons ascendebat è terra, sed ait, Fons autem ascẽdebat è terra, pro numero plurali posuit singularem: vt sic intelligamus, fontes multos per vniuersam terrã loca, vel regiones proprias irrigantes: sicut dicitur miles, & multi intelliguntur: sicut dicta est locusta, & rana in plagis, quibus Aegyptij percussi sunt; cũ esset innumerabilis locustarũ numerus, & ranarũ.*

¶ *Lignumq; scientiæ boni & mali)* NEMES. de Natura hominis cap. primo. *At quoniam minime conferebat ante consumationem suam naturam cognouisse, prohibuit ne de cognitionis ligno gustaret quicquã. Fuerãt enim magis quondam quã nunc maximæ in plantis vires, ut pote in mundanæ fabricæ primordio, quæ sinceræ, defæcatæq; vehementissimam haberent actionem. Cuiusdam igitur fructus gustatio erat huiusmodi, ut suæ cuiq; naturæ cognitionẽ esset iniectura. Nolebat siquidem Deus ante consumationem, suam homo naturam dignosceret: quo minus plurimarum se rerum indigentem cognoscens corporis necessaria procuraret, animæ prouidentiam relinquens. Hac de causa vetuit ne de cognitionis fructu decerperet.*

¶ *In quacũq; enim die comederis ex eo, morte morieris)* FELIX Papa In quinta Synodo Constantinop. ad Petrum Episcopum Antiochiæ. *Ille enim ignorauit, quod ab ipsis mundi nascentis exordijs primum anima primi parentis nostri mortua est, vel in mortem præcipitata est, atq; ita demũ corpus. dictũ quippe illi est à Deo, in quacunq; die comederis de ligno scientiæ boni, & mali, morte morieris. Itaq; iuxta latam in illum à Deo sententiam, qua die comedit ex ligno, in ipsa secundum animam mortuus est: nam ipsius corporis mors post nongentos, triginta annos contigit. Itaq; Deus donum non dimidiatum fecit; sed totum simul Adam ex vtero virginis sumpsit: ut etiam perditum totum saluum faceret.*

¶ *Immisitq; Dominus Deus soporem in Adam: quumq; obdormisset: tulit vnã de costis eius: & repleuit carnem pro ea: & ædificauit Dominus costam quam tulerat de Adam in mulierem)* ANDR. de dormitione beatæ Vir

ginis. Ac ueluti sopor ille protoplasto mollissimus, vnde ablata leniter costa fœminam effinxit, nihil addidit detrimenti, nihil incommodi: sic item huic nostræ, naturæ lege in corporis resolutione perfunctæ, talis exitus, & vitæ commutatio nullum attulit incommodum. CYRIL. Contra Iulianum libro tertio. Hic autem vide obsecro sapienter, ac industrie productam mulierem secundum quod Deo placebat. nam quamuis potuisset innouare aliquid, & iterum accipere puluerem de terra; & formare simili modo sicut formatus fuit Adam; hoc quidem non fecit, sed volens inserere uiro affectionem ergo eam, abstulit quandam portiunculam eius, & reliquum coadiuuans, protulit absolutam humanæ naturæ rationibus. At ille accessit quidem blande: & raptus in amorem insitis affectibus, & quasi agnatus inquit. Hoc nunc os ex ossibus meis &c. IGNAT. Epistola. 13.. Ne'q; vir sine muliere, ne'q; mulier sine uiro aliquando originem sortiri poterit, nisi in solis illis protoplastis. Quia corpus Adæ ex quatuor elementis est factum: Eua vero de latere Adæ: gloriosum uero habitaculum Domini de sola virgine. MARTIAL. ad Tolosanos cap. nono. Quod Deus coniunxit, homo non separet. nam & pater noster Adam primus factus ex limo, uxorem cepit ex costa propria plasmatam, de qua protestatus est dicens. Hoc nunc os ex ossibus meis: caro de carne mea: hæc vocabitur uirago, quia de uiro assumpta est.

IN CAPVT TERTIVM.

γ Dixit autem Serpens ad mulierem) CYRIL. contra Iulianum libro tertio. Admiror autem quod cum ualde subtilis sit, & penitiores disciplinas sicut putat, & dicit, non ignorauerit, sed etiam ultra sensibilia mentem nonnunquam transmiserit, uocem hanc impij, & authoris malorum dæmonis operatione factam, Serpente velamentum malignitatis illius sic adumbrante, non intellexerit Nã tunc cũ non esset aliud rationale animal, mulier impendio simplex, existimabat fortasse & alijs animantibus datum esse humana uoce loqui posse. γ Scit enim Deus, quod in quocunq; die comedetis ex eo, non moriemini, & eritis sicut dij scientes bonum & malum) FAVST. de libro arbitrio lib. primo cap. primo. Aeternitatem creditam fuisse homini liuor ipse testatur inimici: & quia eius immortalitatem deiectus inuidit; ideo causam mortis ingessit, dicendo: In quacunq; die comederetis de ligno hoc, aperientur oculi uestri, et eritis sicut dij. Si hoc tantum dixisset: quum manducaueritis, facietatem de cibi suauitate capietis, ad concupiscentiæ carnalis illecebram transgresio peruenisset: cum uero hãc præuaricationis proposuerit finem dicendo, Eritis sicut dij, edacitatis culpa usq; ad diuinitatis ambitum, & usq; ad crimen maiestas

tis accessit. Facti sunt ergo sicut dij, dono gratiæ cœlestis exuti, & de beatæ stationis culmine perturbati: ac sic callidus serpens pro superbiæ malo eiectus è cœlo, machinas sibi ad hominem subruendum de casu proprio, lapsúq; dispo suit: & quomodo cecidit; sic decepit. IVSTIN. *ad Gentes. Qui autem dæmoni decipienti homines crediderunt; ausiq; propterea diuinis obaudire præceptis, exierunt è paradiso, deorum quidem nomenclaturæ memores, verum non satis edocti, an dij alij præter verum Deum inuenirentur. Neq; enim erat æquum, ut qui mandatum primum, alioqui obseruatu facile, non custodissent, erudirentur amplius; sed potius vt iusta pœna plecterentur. Vbi ergo de Paradiso expulsi, arbitratiq; sunt ob solam se inobedientiam eiectos; ignari alioquin id etiãfuisse in causa, quod eos qui non erant dij, deos esse crediderãt, deorum nomen hominibus de se propagatis tradiderunt. Quo fit, ut prima isthæc de dijs mendax phantasia, à parente mendacij originem traxerit.*

¶ *Et aperti sunt oculi amborum: quumq; cognouissent se esse nudos, consuerũt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata)* ATHANAS. *contra Gentiles libro primo. Hoc autem ex eo qui primo formatus est homine verum licet aduertere, sicut sacra de illo tradit historia. Et ille enim quandiu animum in Deum, & eius contemplationem intentum habuit, auersatus est corporis speciem: ubi uero serpentis consilio, amoto à Dei cogitatione animo se ipsum cœpit inspicere, tunc iam etiam in concupiscentiam corporis corruit. Et cognouerunt, inquit, quia nudi essent, & cognoscentes erubuerunt. Non autem se nudos agnouissent nisi diuinarum rerum speculatione nudati, mentem ad ea quæ sunt aduersa transtulissent.*

¶ *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.)* AMB. *Episcopus in præfatione in Lucam. Neque enim otiose dictum est homini, quod nulli aliorum animantium. In sudore vultus sui manducabis panem tuum. His enim animalibus, quæ natura irrationabilia sunt, iussu Dei terra pabulum ministrare præcepta est, soli autem homini, ut rationabile quod accepit exerceat, uitæ cu rsus in labore præscribitur.*

¶ *Puluis es, & in puluerem reuerteris)* AMB. ANSB. *in Apoc lib. primo. Primus etenim homo, qui ex limo terræ plasmatus in animam uiuentẽ ad lucem Iustitiæ processit, quasi ex vtero matris uiuus est procreatus: idem uero quia mandata vitæ deserens, ad iniquitatis tenebras deuolutus est, accepta mortis sententia rursus in matris uuluam mortuus repedauit: sicut ei dictum est. Terra es, & in terram ibis: ac si ei alijs uerbis diceretur, Quia ex utero matris ad uitam prodiens, mandata vitæ deseruisti, eandem repetes uuluã de qua existi.*

¶ *Fecit quoq; Dominus Deus Adæ, & uxori eius tunicas pelliceas, & in*

duit eos) SVID. *in uerbo* συμβολαί *unicæ pelliceæ interitus hominis, etiam antequã mortem obiret, indicia extiterunt.*

IN CAPVT QVARTVM.

Septuplum ultio dabitur de Cain: de Lamech vero septuagies septies) IVLIAN. *contra Iudæos libro tertio. Hoc quippe modo & Cain peccatum septena generationum vindicatione expiandum præcipitur. In septima enim generatione Cain peccatum est dissolutum, quia & in septima generatione à Lamech, qui septimus ab Adam est, Cain ipse occiditur. Iam deinde & peccatum ipsius Lamech, qui eum occidisse præscribitur, in septuagesima septima differtur generatione purgandum: iuxta quod de eo scriptum est. Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies. Ab Adam enim usq; ad Christum generationes. 77. per ordinem colliguntur, sicut in Lucæ Euangelio legitur. Ab ipso enim Christo illic incipitur, & usq; ad Adam, uel Deum, à quo ipse Adam creatus est, peruenitur. Et ideo Lamech peccatum, quasi totius mundi in. 77. generatione, Christi videlicet aduentu est purgatum.*

IN CAPVT QVINTVM.

Ambulauitq; Henoch cum Deo: & non apparuit, quia tulit cum Deus) NEMES. *de natura hominis libro sexto cap. quarto. Ita & quosdam homines in vita conseruat, ut Eliam, & Henoch mortales existentes, & corruptioni sub ectos: ut per omnia hæc potestatem eius, & non necessitate coactam uoluntatem intelligamus.* CHRYSOST. *in Epistolam ad Heb. hom. XI. Multi autem quærunt, quo translatus sit Henoch, & quare translatus sit, & quare non fuerit mortuus neq; ipse, neq; Elias; & si adhuc uiuunt, & in quali habitu. Sed superuacaneum est ista requirere. Quia vero translatus est iste, & quia assumptus est ille, scripturæ dixerunt: vbi autem sint, & quomodo, non addiderunt. Nihil autem amplius, quam quæ necessaria sunt, dicunt. Hoc enim factum est, ut de translatione dicitur ipsis initijs statim, ut anima humana spem acciperet, & quia solueretur mors, & damnaretur diabolica tyrannis. translatus est enim, non mortuus, immo vt ne videret quidem mortẽ.* IREN. *lib. quinto. Quoniam quidem Henoch placens Deo in quo placuit corpore translatus est; translationem iustorum præmonstrans: & Elias sicut erat in plasmatis substãtia assumptus est; assumptionem patrum prophetans.* IDEM. *Infra. Vbi ergo primus positus est homo, scilicet in paradiso, quemadmodũ scriptura dicit, Et plãtauit Dominus paradisum in Eden contra Orientem,*

& posuit ibi hominem quem plasmauit, & inde proiectus est in hunc mundũ non obediens. Qua propter dicunt presbyteri qui sunt Apostolorum discipuli, eos qui translati sunt, illuc translatos esse.

IN CAP, VI.

¶ *Videntes filij Dei filias hominum quod essent pulchræ)* SVID. *in verbo* Σὴθ *Seth filius Adam de hoc dictum est:* Et ingressi sunt filij *Dei ad filias hominum: hoc est, filias Cain, & posteritatis eius. Deum nanq; homines qui illa tempestate vitam agebant, Sethũ appellabant; propterea quod & Hebraicas literas, & astrorum nomina inuenisset: ad hæc quod magnam illius erga Deum pietatem admirarentur: ut & primus Dei nomine inuocaretur, ac nominaretur: quemadmodum & Moysi Dominus ait: Dedi te Deum Pharaoni: itemq; de uiris virtute præstantibus, & diuina gratia ac donis illustribus, & iudicibus inquit: Dijs non maledices. Merito igitur filij Seth, & Enos & Henoch filij Dei, & filij Deorum, ut ait Symmachus, intelligendi sunt: qui intemperantia, ac libidine capti ad filias Cain ingressi sunt, ex quorum impuro coitu gigantes nati sunt: qui ex ea parte, qua à iusto Seth oriundi erant, robusti, ac proceri, ex ea uero parte qua ab iniquo, atq; profano Cain proficiciscebantur, praui, pessimiq; extiterunt.*

¶ *Noe vir iustus, atq; perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit)* CHRYSOST. *in Psalmum vndecimum. Et ideo sunt vel maxime beati iudicandi veteres, non tantum quod recte, & ex virtute se gesserint, sed quod tunc quũ magna esset virtutis sterilitas, & nusquã apparerent qui se recte gererent. Hoc ergo significans quoq; scriptura dicebat. Noe iustus perfectus in generatione sua. Propterea admiramur Abraham: admiramur Lot: propterea Mosem, quod veluti in profunda nocte Stellæ apparebant, et tanquã rosæ inter spinas, & oues inter lupos innumerabiles: ut qui via omnibus contraria ingrederentur: & cæptum iter minime interrumperent.*

IN CAP. IX.

¶ *Cæpitq; Noe vir agricola exercere terram: & plantauit vineam)* AMBROS. *Hexam. libro tertio cap. 17. Bene admonuit iste versiculus repetere pene intermissum, quia diximus præcepto Domini vitem etiam pullulasse, quam post diluuium à Noe plantatam esse cognouimus. sic enim habes: Quia Noe agricola erat terræ, & plantauit vitem: & bibit de vino eius, & obdormiuit. Non ergo Noe auctor est vitis, sed plantationis. Neq; enim nisi eã reperisset ante generatam, plantare potuisset. Cultor ergo, non auctor est uitũ.*

IN CAP. XIIII.

At vero Melchisedech rex Salem proferens panem, & vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, & ait) DIONYS. AREOP. *de cælesti Hierarchia cap, nono. Considerare libet Melchisedech illum pontificem carissimum Deo, qui nequaquã inanium deorum, sed altissimi, æterniq; Dei sacerdos fuit. Non enim sine ratione sapientia diuina illustres viri Melchisedech non modo amicum Dei, verum etiam Sacerdotem Dei appellarunt: siue ut prudentioribus aperte indicarent, non modo ipsum ad uerum, ac sempiternum Deum esse conuersum, uerum etiam cæteris ad ueram, & solam, supremamq; Deitatem prouehendis auctorem, ducem'q; fuisse.*

IN CAP. XV.

Generatione autem quarta reuertentur huc) IVLIAN. *contra Iudæos libro tertio. Ergo non satis est attendere summam annorum, ubi per generationes efficentia comprobatur ætatum. Hoc enim more sanctarum scripturarum quædam uidemus lege à Deo promissa, quæ non in annis, sed in præfinitis generationibus prædicuntur implenda. Nec enim hominis cuiusq;, uel prophetantis sermone pdicitur; sed ipsius Dei uoce signatur quod ad Abrahã Dominus loquitur. Quarta autẽ, inquit, generatione filij Israel de terra Aegypti reuertẽtur. Quod nõ in annis, sed in generationibus uidetur tũc fuisse impletũ. Etenim si replices geneologiã Leui, quarta generatione filios Israel de terra Aegypti egressos esse reperies. Leui enim genuit Cahat, Cahat genuit Amrã, Amram genuit Aaron, Aaron genuit Eleazar, Eleazar genuit Phinees. Cahat autem cum patre suo Leui ingressus est Aegyptum: rursus Eleazar cum patre suo Aaron egressus est Aegyptum. A Cahat usq; ad Eleazar computãtur generationes quatuor. Sic ergo futura, & plena à Deo liberatio seruitutis Israelitici populi non in annis, sed in generationibus prædicta est adimpleri.*

IN CAP. XVIII.

Descendam, & videbo utrum clamorem qui uenit ad me opere compleuerint: an non est ita, ut sciam.) CONCII. Tribur. cap. 22. *Deus omnipotens cum omnia nuda, & aperta sint oculis eius, ut in Epistola Euaristi Papæ scriptum legimus, quo nos à dubijs, & incognitis sententiam proferre compesceret, mala Sodomæ noluit audita iudicare, priusquã manifeste agnosceret, quæ dicebantur. Vnde ipse ait: Descendam, & uidebo &c. Quo exẽplo moniti, ne ad proferendam sententiam unquã præcipites simus; aut temere, indiligenter'q; indiscussa quæque quoquomodo iudicemus: Sed exemplo Domi*

ni descendamus, uideamus, & iusto examine criminosos diligenter perscrutemur; sicut ipse Sodomam: ut videamus, utrum clamorem populi compleuerint, nec ne. Nam mala audita nullum moueant: sed ante audita diligenter inquirat. CONCIL. Primum Lateran. cap. 8. Qualiter, & quando debeat praelatus procedere ad inquirendum, & puniendum subditorum excessus, ex auctoritatibus noui, & ueteris Testamenti colligitur euidenter, ex quibus postea processerunt Canonicae sanctiones; sicut olim aperte distinximus, & nunc sacri approbatione Concilij confirmamus. legitur enim in Euangelio, quod villicus ille, qui diffamatus erat apud dominum suum, quasi dissipasset bona sua, audiuit ab illo. Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuae: iam enim non poteris uillicare. Et in Genesi Dominus ait. Descendam; & uidebo &c. Ex quibus auctoritatibus manifeste comprobatur, quod non solum quum subditus, uerum etiam quum praelatus excedit, si per clamorem, & famam ad aures superioris peruenerit, non quidem à maleuolis, & maledicis, sed à prouidis, & honestis, nec semel tantum, sed saepe (quod clamor innuit, & diffamatio manifestat) debet coram Ecclesiae senioribus ueritatem diligentius perscrutari: & si rei poposcerit qualitas, canonica districtio culpam feriat delinquentis: non tanquã sit auctor, & iudex, sed quasi deferente fama, uel denunciante clamore, officii sui debitum exequatur.

¶ Clamorem qui uenit ad me) REMIG. In Ionam Prophetam cap. primo. Quod dicit, Ascendit malitia eius coram me, ostenditur quia impudenter, & sine ulla reuerentia, & timore peccabant. Tale est quod de Sodomis dicitur, Clamor Sodomorum & Gomorrhaeorũ venit ad me. Nota, peccatum cũ uoce est occultum peccatum: peccatum cum clamore est peccatum manifestum, & publicum. SALVIAN. de prouidentia Dei lib. primo. Pulchre clamorem dixit in se habere peccata. Grandis absq; dubio peccantiũ clamor est, qui à terra ascendit ad coelum. Quare autem peccata hominum quasi clamare testatur? scilicet quia caedi aures suas Deus dicit clamoribus peccatorum, ut non differatur poena peccantium. Et uere clamor, & grandis clamor est; quando pietas Dei peccatorum clamoribus uincitur, ut peccantes punire cogatur. Ostendit ergo Dominus quã inuitus puniat etiam grauissimos peccatores, dicens, quod clamor Sodomorum ad se ascenderit: hoc est dicere. Misericordia quidem mea mihi suadet ut parcam; sed tamen peccatorum clamor cogit ut puniam.

¶ Loquar ad Dominum meum cum sim puluis, & cinis) MAX. Constantinop. De Charitate Centuria prima. Qui Diuinam cognitionem nondum consecutus est, quae per charitatem operatur; superbum se gerit in his, quae ab ipso Deo auxiliante facta sunt. At qui hanc consequi dignatus est, cum affectu

Abraham Patriarchæ verba profert, quæ ipse, cum Diuina apparitione dignatus esset, protulit: Ego sum terra, & cinis. AMVL. De Officio Missæ cap. septimo. Dicentibus Cantoribus Kyrieeleison Acolyti è manibus ponunt cereos in terrā altrinsecus, & unum in medio. Quoniam post peracta bona opera ad tantam humilitatem nos deducit Spiritus sanctus, cuius lumen signatur lumine Cereorum, qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam, ut uere cognoscamus nos esse cinerē, & puluerem. Quo lumine illuminatus est Patriarcha Abraham, quando post locutionem Domini ad se factam, dixit. Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis.

IN CAP. XXII.

⁋ Offer filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac) PETRVS CHRYS. Sermone. 108. Deus fidem, non mortem quærit, uotum, non sanguinem sitit: placatur uoluntate, non nece. Hoc probat Deus ad hostiam Abrahæ sancti filium quum poposcit. Nam quid aliud Abraham, quā corpus suum immolabat in filio? Quid aliud Deus, quam fidem requirebat in patre; qui filium sicut offerri iussit, sic non permisit occidi? MARTIAL. ad Burdegalenses Cap. primo. Pater generis nostri, & Hebræorum, qui uocatus est Abraham, iustum filium suum dilectissimum Isaac, quem unicum susceperat, Deo super altare immolandum hostiam obtulit. Vnde, & fortis Deus eū non permisit occidi; quia non delectatur, sed ualde magis offenditur effusione sanguinis hominum. Victima autem arietis, quæ debita erat in lege Hebræorū pro homine cæsa: sed Deus non sanguine arietis, sed uoluntate patris, & filij iusta delectatus est.

IN CAP. XXXI.

⁋ Die, noctuq; æstu urebar, & gelu: fugiebatq; somnus ab oculis meis) DAM. PONT. Epistola quarta Concil. Tom. primo. Si ergo sic laborat, & vigilat qui pascit oues Laban; quanto labori, quantisq; vigilijs debet intendere, qui pascit oues Dei?

IN CAP. XLIX.

⁋ Quæ vētura sunt uobis in diebus nouissimis) IVLIAN. contra Iudæos libro primo. Ad uero quia dixerūt prophetæ ea ipsa quæ de Christo præ dixerunt in diebus nouissimis esse complenda; nouissimos dies illos credo

intellexerunt

intellexerunt, qui in illo regno, deficientibus principibus de stirpe Iuda, nouissimi approbati sunt; quando in illo populo primus Herodes alienigena successit in regnũ; cuius tempore Christus in Iudæa natus agnoscitur. ET INFRA. *Sic signum eorundem dierum Iacob Patriarcha aperuit, quando uocans ad se filios suos, dies ipsos similiter nouissimos appellauit.*

y Non deficiet princeps ex Iuda) IDEM *infra. Ecce manifestum signum nouissimorum dierum, in quos cessantibus principibus, vel ducibus de stirpe Iuda, rex Herodes successit alienigena, in cuius tempore Christus natus est in Iudæa.* EVSEB. CAESAR. *de demõstratione Euangelica lib. tertio cap. primo. Iudam uero hic non ipsam tribum intelligit, sed quoniam de nominatiõe quadam posterioribus tẽporibus a regali tribu Iuda omnis Iudæorũ natio dicta est, ita quidem vt hodie quoq; Iudæi nominentur, ualde mirabiliter, & prophetice omnem Iudaicam gentem Iudam nominauit: sane ut nos quoq; Iudæos appellare consueuimus. tum affirmat non prius defuturos de gente ipsorum principes, ac duces, quã is adueniat: quem Prophetia significat. Porrò hic simul atq; aduenerit, Iudæorum quidem principatum esse dissoluendum, ipsum uero nõ Iudæorũ amplius, sed Gentiũ fore expectationem. quod quidem ipsum nulli unquã prophetarum accomodare, sed uni duntaxat Saluatori, Dominoq; nostro poteris. Nam simul atq; ille ad homines uenit, Iudæorum regia potestas sublata est, continuoq; illorum princeps defecit, qui quidem maioribus suis succederet; atq; ex legibus propriis illis præesset. Tunc enim Augustus Romanorum primus accepit imperium: & Herodes ab externis gentibus accitus, illorum rex constitutus est. Et illi quidem defecerunt; hic autem Gentium per totum terrarum orbem expectatio, sicut diuinitus prædictum fuerat, declaratus est: adeo quidem, ut nunc quoq; omnes quicunq; ex omnibus gentibus in illum credunt, expectationis suæ secundum Deum in illo spem reponant.*

AVCTOR. *In eãdem sententiam disserit Iustinus martyr in Dialogo ad Tryphonem Iudæum.* ISID. *de Fide ad Florentinam Sororem cap. nono. Et quia de tribu Iuda secundum carnem Christus expectandus esset, Iacob Patriarcha significat dicens. Non deficiet princeps ex Iuda, nec dux de femoribus eius, donec ueniat qui mittendus est; & ipse erit expectatio gentium. Certum est enim usq; ad ortum Chsiti non defuisse principes populi Iudæorum ex genere Iudo, nec duces de femoribus eius usq; ad Herodem alienigenam regem; qui per ambitionem regni irrepserat potestatem. Statim enim in hoc factũ ẽ: Et defecit dux ex femine Iude: aduenit ille qui mittendus erat, quem gentes, & populi expectabant.*

IN Cap. III.

¶ Ego sum qui sum) IVSTIN. ad Gentes. Ob id igitur, ut supra dixi, proprij nominis alicuius Deus non fecit mentionem quum Mosen ad Hebræos destinasset: sed ui cuiusdam participij se vnum, & solum Deum mystice docuit. Ego enim, inquit, sum Existens. ex opposito uidelicet se ipsum distinguens existentem ab ijs qui non existunt: ut qui prius decepti fuerant, agnoscerent se non illis qui existunt, sed plane non existentibus applicuisse.

IN CAP. 14.

¶ Et crediderunt Domino, & Mosi seruo eius) HIER. in Epistolã ad Philem. cap. primo. Ad expositionem huius loci de Exodo sumamus exemplũ. Credidit populus Deo, & Moysi seruo eius. Vna atq; eadem credulitas in Moysen refertur, & in Deum, ut populus qui credebat in dominum, æque credidisse dicatur in seruum. Hoc autem non solum in Moyse, sed in omnibus sanctis eius est, ut quicunq; credidit Deo, aliter eius fidem recipere nõ queat, nisi credat & in sanctos eius. Non est enim in Deo perfecta dilectio, & fides, quæ in ministros eius odio, & infidelitate tenuatur.

IN CAP. 20.

¶ Visitans peccata patrum in filios) LEO. I. Pont. Epistola 74. Parentum quoq; peccatis paruulos obligari non solum primorum hominum, sed etiam suorum de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe sententia, Reddam peccata patrum in filios, tenet eos vtiq; antequam per regenerationem ad testamentum nouum incipiant pertinere: quod testamentum prophetabatur, quum diceretur per Ezechielem, non accepturos filios peccata patrum suorum; nec ulterius futuram in israel parabolam illam, Patres manducauerunt uuam acerbam; & dentes filiorum obstupescunt. Ideo enim quisq; renascitur, ut soluatur in eo quicquid peccati est, cum quo nascitur. Nam peccata, quæ male agendo postea commituntur, possunt & pœnitendo sanari, sicut etiam post baptismum fieri uidemus.

IN CAP. 21.

¶ Et erit ei seruus in sæculum) HIER. in Epistolam ad Galatas cap. primo. Ob hanc causam & ille Hebræus qui propter vxorem, & liberos

amans dominum suum, aure pertunsa seruitio subiugatur, seruire iubetur in sæculum, hoc est usq; ad annum quinquagesimum.

IN CAP. 22.

¶ *Applica illum ad Deos)* NICOL. I. *ad Michaelem Imp. Nam in diuinis eloquiis Sacerdotes aliquando Dij, aliquando Angeli uocantur. Nam et per Moysen de eo, qui per iuramentum deducendus est, dicitur. Applica illum ad Deos, uidelicet ad Sacerdotes. Et rursum scriptum est. Dijs non detrahes: scilicet Sacerdotibus. Et propheta ait: Labia sacerdotis custodiunt sciẽtiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est.*

IN CAP. 32.

¶ *Dimitte me; ut irascatur furor meus contra eos)* HIER. *in Ezechiel. cap 13. Sicut enim murus hosti opponitur, & aduersario occurri solet ex aduerso contraq; uenienti: ita Dei sententia sanctorum precibus frangitur. Vnde & Moysi dicitur, Dimitte me, & delebo populum istum. Cui enim dicitur, Dimitte me: ostenditur quod tenendi habeat facultatem.*

IN LEVITICVM.

IN CAP. 12.

¶ *Mulier si suscepto semine pepererit filium &c.)* ERICVS *homilia de purificatione beatæ Mariæ Virginis. Dicens enim mulierem suscepto semine parientem una cum prole oblatis uictimis debere mundari, illam utiq; ab hac necessitate distinguit; quæ sine suscepto uiri semine uirgo concepit, & virgo peperit.*

IN NVMEROS.

IN CAP. 16.

¶ *Ecce autem Chore filius Isaar, filij Caath, filij Leui, & Dathan, atq; Abiron, filij Eliab, Hon quoq; filius Pheleth de filijs Ruben surrexerunt contra Moysen, alijq; filiorum Israel ducenti quinquaginta uiri proceres Synagogæ &c.)* CYP. *libro primo, Epistola. 6. Nam & Chore, & Dathan, & Abiron cum sacerdote Aaron & Moyse eundem Deum nouerant, pari lege, et religione uiuentes, unum, & verum Deum, qui colendus, atq; inuocandus fuerat, inuocabant. Tamen quia loci sui ministerium transgressi, contra Aaron sacerdotem, qui sacerdotium legitimum dignatione Dei, atq; ordinatione per-*

ceperat, sacrificandi licentiam uendicarunt, diuinitus percussi pœnas statim pro illicitis conatibus penderunt; nec potuerunt rata esse, & proficere sacrificia, irreligiose, & illicite contra ius Diuinæ dispositionis oblata.

¶ Recedite à tabernaculis hominum istorum impiorum: & nolite tangere quæ ad eos pertinent; ne inuoluamini in peccatis eorum) IDEM infra. Atq; ut magis intelligi posset contra eiusmodi licentiam, & audaciam quæ sit censura Diuina, inuenimus in tali facinore non solum duces, & auctores, sed et participes pœnis destinari, nisi se à communione malorum separeuerint; præcipiẽte Domino, & dicente. Separamini à tabernaculis hominum &c. Et quod comminatus per Moysem Dominus fuerat, impleuit: ut quisquis à Chore se, & Dathan, & Abiron non separasset, pœnas statim pro impia communione persolueret. Quo exemplo ostenditur, & probatur, obnoxios se Deo, & culpæ, et pœnæ facturos, qui se schismaticis contra præpositos, & sacerdotes irreligiosa temeritate miscuerint.

IN DEVTERONOMIVM.
IN CAP. 6.

¶ Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; & ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua) APON. in Cantica libro primo. Non enim uult alium quenquã socium amoris Deus in anima hominis: sed in tota virtute eius, in toto corde, & in totis uisceribus eius solus obtinere desiderat principatum. Et in trino opere eius, cogitatione, verbo, factoq; solus discurrere delectatur: sicut trino mysterio se in decalogo diligi iussit. Dicendo enim: Diliges Dominũ Deum tuum in toto corde tuo, Cogitationem sibi hominis uelut palatium intitulauit. dicendo: Et in tota anima tua: sermonis sibi eius singularem laudem sacrauit. de qua dicitur in propheta. Ego Dominus, laudẽ meam alteri nõ dabo: nec laudem meam sculptilibus: quæ sola vtiquæ sermonis obtinet potestatẽ. Dicendo vero: In tota uirtute, quis ignoret operam hominis nominasse: quam pro sua uoluntate sibi uult semper totam impendi: sicut ipse ait in Euangelio. Operamini opus quod non perit.

¶ Et ligabis ea quasi signum in manu tua: eruntq;, & mouebuntur ante oculos tuos) HIER. in Matth. Cap. 23. Dominus quum dedisset mandata legis per Mosen, ad extremum intulit. Ligabis ea in manu tua: & erunt immota ante oculos tuos. Et est sensus. Præcepta mea sint in manu tua, ut opere compleantur: sint ante oculos tuos, ut die, ac nocte mediteris in eis. Hoc Pharisæi male interpretantes, scribebant in membranis Decalogum Mosis, id est, decem uerba legis; complicantes ea, & ligantes in fronte, & quasi

coronam capiti facientes; ut semper ante oculos mouerentur. quod usq; hodie Indi, & Persæ, & Babylonij faciunt: & qui hoc habuerit, quasi religiosus in populis iudicatur.

IN CAP. 16.

℣ Iuste quod iustum est persequeris) AMB. in Lucam cap. primo. Sed etiam quod bene feceris, si male cogitaueris, Diuino iudicio non potest comprobari. scriptum est enim: Iuste quod iustum est persequeris. Nam nisi esset ut iustum iniuste faceres, nunquam dictum esset; Iuste quod iustum est persequeris. Et certe posse iustum iniuste fieri, docuit nos ipse Saluator, dicens: Quum feceris eleemosynam, noli tuba canere ante te: Et quum oratis, non eritis sicut hypocritæ. Bona est enim misericordia, bona est oratio, sed potest iniuste fieri, si iactantiæ causa aliquis pauperi largiatur, ut videatur ab hominibus. ORIG. in Lucam homil. secunda. Et quomodo potest euenire, ut in omnibus mandatis, & iustificationibus Dei ambulans, sub querela sit? Cui breuiter dicam. Nisi hoc ita esset, nunquã in alio loco nosceremus scriptum referri: Iuste id quod iustum est sequere. Nisi enim esset iustum aliquid, quod non iuste sequeremur; nequaquam nobis preciperetur, ut iuste id quod iustum est sequeremur. Quando enim facimus mandatum Dei, & in conscientia nostra uanæ gloriæ sordes respergimus, ut placeamus hominibus, aut quæcunq; nõ placens Deo boni operis causa præcedit, quãuis faciamus præceptum Dei, tamẽ illud absq; querela non facimus, & iniuste id quod iustum est sequimur. GREG. PONT. libro nono in Iob. Cap. 19. Iniuste id quod iustum est exequitur, qui ipsam quam prætendit iustitiam venundare minime ueretur. iuste ergo iustum exequi est, in assertione Iustitiæ eandem ipsam iustitiam quærere.

IN CAP. 18.

℣ Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies) EVS. CAES de Demonst. Euang. lib. primo Cap. cap. septimo. Quod enim Moses non simpliciter dicat prophetam surrecturum, sed cum additione, tanquã se (prophetam enim, inquit uobis suscitabit Dominus Deus vester tanquã me, illum audietis) quid aliud intelligi uult, nisi eum qui prædiceretur, ipsi Mosi adæquatum esse venturum? Moses autem legem vt summus Deus coleretur, posuerat. ergo prophetam hunc de quo vaticinia feruntur, quod Mosi similis futurus esset, legis auctorem illi similem extitisse par est. At enim quãuis innumerabiles post Mosem prophetæ extiterint, de nullo tamen tale testimonium prolatum est, quod Mosi similis ex

terit: Cuncti enim ad illum ipsos remittebant audientes. & sane ipsum hoc teſtificatur ſcriptura non ſurrexiſſe prophetam Moſi ſimilem. Neq; igitur Hieremias, neq; Eſaias, neq; alius quiſpiā prophetarum illi ſimilis fuerit; propterea quod ne legum quidem auctor fuit illorum aliquis.

IN CAP. 22.

Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis, ſed reduces fratri tuo) GREG. *Neocæſarien. in Epiſtola Canonica Canone quarto. Nemo ſe ipſum decipiat, neq; ſi aliquid repererit: Neq; enim ex repertis lucrari quiddam licere teſtatur illud Deuteronomij. Si videris uitulū fratris tui &c.*

Non arabis in boue & aſino) CONC. *Hiſpal.* 2. *Canone.* 9. *Indecorum eſt enim Laicum Vicarium eſſe Epiſcopi, & ſæculares in Eccleſia iudicare. In vno enim eodemq; officio non debet diſpar eſſe profeſſio. quod etiam in lege diuina prohibetur dicente Moyſe: Non arabis in boue ſimul, & aſino: id eſt, homines diuerſæ profeſſionis in officio uno non ſociabis. Vnde & oportet nos & diuinis libris, & ſanctorum patrum obedire præceptis, conſtituētes, ut hi qui in adminiſtrationibus Eccleſiæ pontificibus ſociantur, diſcrepare nō debeant nec profeſſione, nec habitu: nam cohærere, & coniungi non poſſunt quibus & ſtudia, & uota diuerſa ſunt.*

IN CAP. 27.

Et è regione iſti ſtabunt ad maledicendum in monte Hebal Ruben, Gad, & Aſer, & Zabulon, Dan, & Nephtali.) HIER. *in Epiſtolam ad Titum cap. tertio. Relege veteres libros: & uide quæ tribus in monte Garizin conſtitutæ ſint, ut benedicerent populo; & quæ in monte altero, ut maledicerent. Ruben, qui maculauerat torum parentis, & Zabulon nouiſſimus filius Liæ, & ancillarum liberi, in monte Hebal ponuntur, ut maledicant eis qui maledictione ſunt digni.*

IN CAP. 32.

Pars autem Domini populus eius) DION. AR. *de cœleſti Hierarchia cap. nono. Sed & illud quoq; diuinæ ſcripturæ iuxta hunc ſenſum ſacratius accipiendum eſt, non quaſi Deus cum Dijs alijs, aut Angelis humani generis gubernaculum, regimenq; diuiſerit, & Iſraeliticæ gentis princeps, & dux ipſe conſtitutus ſit; ſed quod vna illa quidem altiſſimi in cunctis prouiden*

tia mortales omnes in salutem Angelorum suorum ductibus ad se peruehendos distribuerit: solus autē ferme Israel præ omnibus ad uerissimi domini intelligentiam, cognitionemq; conuersus sit: unde Israeliticam plebem se se diuino cultui deuouisse, illūq; hæreditario iure suscepisse, sacra scriptura indicat dicens. Factus est pars Domini &c.

¶ Ignis accensus est in furore meo: & ardebit usq; ad inferni nouissima) HIER. in Esaiam cap. 65. De hoc igne perpetuo & in Moysi cantico legimus: Ignis accensus est de furore meo: & ardebit usq; ad infernū deorsum. Cuius testimonij sensus est; quod ignis Dei, atq; uindicta semper ardeat peccatoribus: & eos usq; ad inferos persequatur.

IN IOSVE.

IN CAP. 10.

¶ Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra uallem Aialon &c.) CHRYSOST. in Epistolam ad Heb. cap. 11. Veniat igitur omnis Mūdus, magis autem duo aut tres, aut quatuor, & decem, & uiginti mundi, discant & faciant hoc, sed non poterunt. Amicus vero Dei creaturis amici sui imperabat, magis autem amicum suum postulauit: & obedierunt serui: & ille qui deorsum erat, superioribus imperabat. Intueris quia hæc ad seruitutem facta sunt cursum dispositum peragentia? Hoc etiam illo opere Mosis maius est. Quid ita? Non enim æquale est mari imperare, & eis qui in cælo sunt. Magnum quidem & illud est, & valde magnum; veruntamen nihil simile. Quid igitur? Typus erat Iesu illud nomen, iccirco igitur hoc factum est. Etiam propter ipsum vocabulum reuerita est creatura.

IN LIBRVM IVDICVM.

IN CAP. 11.

¶ Et fecit ei sicut uouerat, quæ ignorauit uirum) HIER. in Hierem, cap. 7. Quod si Iepthe obtulit filiam suam virginem Deo, non sacrificiū placet, sed animus offerentis. Neq; enim si canis, aut asinus, aut immundum quodlibet animal primū occurrisset patri à cæde hostiū reuertenti, Deo illud offerre debuerat.

IN CAP. 13.

¶ Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?) DION. AR. de diuinis nominibus cap. primo. Ista deniq; non ignorantes Theologi, ipsam &

ut carentē nomine ex omni nomine celebrant. Vt carētem quidem nomine, quum Deum ipsum aiunt in una sacratissimarum uisionū apparentem eum in crepasse qui dixerat: Quod est nomen tuum? ac ueluti ab omni eum diuini nominis cognitione abducentem dixisse: Cur de nomine meo interrogas, quod est mirabile? An uero istud non est mirabile nomen, quod est super omne nomen; quod est sine nomine, quod omne exuperat nomen, quod nominatur siue in hoc sæculo, siue in futuro?

IN LIBRVM RVTH.

IN CAP. I.

Facta est fames in terra) HIER. *in Ezech. cap. sexto. Famem, & pestilentiam, & bestias pessimas, & quicquid aliud malorum sustinemus in sæculo, propter nostra uenire peccata manifestum est. Vnde & fames illa quæ facta memoratur in Ruth, & in Regum uolumine sub Helia, quando tribus annis, & sex mensibus cœlum clausum est, & sub Heliseo, cuius incredibilem inopiam repentina abundantia compensauit, Dei iudicio missa est.*

IN CAP. 2.

Et ecce ipse ueniebat de Bethleem: dixitq; messoribus: Dominus uobiscum) CONC. *Bracarense primū Can.* 21. *Item placuit ut non aliter Episcopi, & aliter Presbyteri populum, sed uno modo salutent, dicentes: Dominus sit vobiscum, sicut in libro Ruth legitur: & ut respōdeatur à populo: Et cū spiritu tuo. sicut et ab ipsis Apostolis traditū omnis retinet Oriēs: et nō sicut Priscilliana hæresis permutauit.*

IN PRIMVM REGVM.

IN CAP. 2.

Si peccauerit uir in uirum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccauerit uir, quis orabit pro eo?) AMB. EPIS. *de pœnitentia libro primo cap.* 8. *Non enim scriptum est: Nullus orabit pro eo: sed, Quis orabit? Hoc est, Quis ille sit, qui in tali causa orare possit, quæritur, non excluditur.* ET *Paulo post. similiter igitur accipiendum: Quis orabit pro eo? Hoc est singularis vitæ aliquis debet orare pro eo, qui peccauit in Dominum. quia quo maior culpa, eo maiora sunt quærenda suffragia. Non enim quicunq; de uulgo pro Iudæorum populo, sed Moyses rogauit; quando uituli caput fidei immemores adorauerunt.*

Inuasit

IN CAP. 18.

Inuasit Spiritus Dei malus Saul.) GREG. Pont. *in Iob libro.* 18. *cap. primo Vbi iuste quæritur, si Domini, cur malus? & si malus, cur Domini dicatur? Sed in duobus verbis conprehensa est potestas iusta in diabolo, & uoluntas iniusta. Nam & ipse dicitur Spiritus malus per nequissimam uoluntatem, & idem spiritus Domini per acceptam iustissimam potestatem.*

IN CAP. 21.

Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum: si mundi sunt pueri, maxime à mulieribus, manducent.) HIER. *in Epistolam ad Titum cap. primo. Relegamus Regū libros, & inueniemus Sacerdotem Abimelech de panibus propositionis noluisse prius dare Dauid, & pueris eius, nisi interrogaret, vtrum mundi essent pueri à muliere, non vtiq; aliena, sed coniuge. Et nisi eos audisset, ab heri, & nudiustertius uacasse ab opere coniugali; nequaquā panes, quos prius negauerat, cōcessisset. Tantū interest inter propositionis panes, & corpus Christi, quantum inter umbram, & corpora, inter imaginem, & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipsa, quæ per exemplaria præfigurabantur.*

IN CAP. 25.

Aufer iniquitatē famulæ tuæ: faciēs enim faciet Dominus tibi Domino meo domum fidelem) MARCVS *de lege spirituali. Dauid cum apud animum suum decreuisset neci dare velle Nabal Carmelitam; diuinæ retributionis mentione audita, abstractus à proposito, magnas Deo egit gratias. Neq; rursum ignoramus quid fecerit Dei oblitus, neq; eius rei prius finem fecit, quam eidem Nathan propheta Deum uindicem in memoriam reuocaret.*

IN SECVNDVM REGVM.

IN CAP. 12.

Dominus quoq; transtulit peccatum tuum) GREG. Pont. *in Iob. libro nono. cap. 27. Nequaquā igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine uindicta laxatur: sic Dauid audire post confessionem meruit: Dominus transtulit peccatum tuum. Et tamen multis post cruciatibus afflictus ac fugiēs, reatum culpæ, quam perpetrauerat, exoluit.*

IN CAP. 18.

Seruate mihi puerum Absalom) AMB. *Episcopus in Psalmum.* 118.

Serm. 14. *Christo lucebat propheta, quum de eo qui patris domum turpi maculauerat incæstu, qui patris salutem parricidalibus prælijs appetebat, prius tamen pater diceret ad prælium profecturis, parcite filio meo Absolom. Tacebat improbitatis scelus, pietatis autem gradum, & nomen necessitudinis præferebat: ut pugnaturi non aduersarium Regis, sed filium cogitantes, dolorem læsæ pietatis inhiberent.*

IN CAP. 23.

℣ *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna &c.)* AMB. *Episcopu* De Iacob, & *vita beata libro primo cap. primo. Quæ res indicio est, quod concupiscentia quidem rationem præueniat; sed ratio cupiditati resistat.* Humanum itaq; *quod passus est* David, *ut irrationabiliter concupisceret, sed illud laudabile, quod irrationabilem concupiscentiam rationabiliter parato fraudauit remedio.*

IN CAP. 24.

℣ Trium *tibi datur optio: elige vnum quod volueris ex his, vt faciam tibi &c.)* AMB. *Episcopus in Psalmũ. 37. Vide docentem* Deum *qua moderatione eius indignatio leniatur, si non penitus verbera recusemus, sed qualitatem leuandi, nõ euitandi supplicij postulemus,* Tria *proposuit, ut quod moderatius putaret, eligeret.* Vide *etiam quemadmodum ad pœnitentiam prouocat, ut nos offeramus iniuriæ: eligere pœnam mandans, ut in ipsa pœna electionis quædam prærogatiua seruetur, & reo suo blandiatur hoc verbo.*

IN TERTIVM REGVM.

IN CAPVT. 20.

℣ *Tunc vir quidam de filijs prophetarum dixit ad socium suum in sermone* Domini, *percute me &c.)* CHRYSOST. *aduersus iudæos*, Oratione *prima.* Tom. *quinto. Quid hoc absurdius fieri possit? qui percussit prophetam, euasit incolumis, qui pepercit, dedit pœnas. nimirum ut intelligeres, in iussis diuinis non oportere curiosum esse, examinareq; rerum, quæ præcipiuntur naturam, sed nihil aliud q̃ obtemperare. Etenim ne prior ille ueritus parceret prophetæ, non dixit simpliciter,* Percute *me, sed addidit,* In *verbo* Domini. *hoc est,* Deus *præcipit; ne quære ulterius.* Rex *est, qui hanc præscribit legẽ: reuerere iubentis auctoritatem; summaq; cum animi promptitudine obtempera.* Ad *id facere non sustinuit, eoq; pœnas dedit grauissimas, suo exemplo sequuturos ad*

hortans ut quicquid præcepit Deus per omnia obtemperarent, moremq; gere rent in posterum.

IN CAPVT 21.

Et ait Achab ad Eliam. Num inuenisti me inimicum tibi? qui dixit ei. Inue ni, eo quod uenundatus sis, ut faceres malum in conspectu Domini &c.) AMB. *Episcopus in Psalmū. 38. Vides ergo quia regibus non temere uel à prophetis Dei, uel à sacerdotibus facienda iniuria sit, si nulla sint grauiora peccata, in quibus debeant argui. Vbi autem peccata grauiora sunt, ibi non videtur à sacerdote parcendum, ut iustis increpationibus corrigantur.*

IN QVARTVM REGVM.

IN CAPVT. 2.

Dixitq; Eliseus: *obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus)* RVP. *de victoria verbi Dei libro quinto cap. decimo. Et reuera ita factum est. spiritus Eliæ, idest, operatio virtutum quæ in Spiritu Domini data fuerat Eliæ, duplex in Eliseo facta est. Duplicia nanq; numero miracula fecit Eliseus supra quā Elias. Etenim si rite numeres, Elias octo, Eliseus sexdecim miracula operatus est. Primum Eliæ fuit, quod verbo continuit cœlum ne plueret. Secū dum, quod Corui pauerunt eum. Tertium, quod apud uiduā, quæ pascebat eum iuxta verbum eius hydria farinæ non defecit: & lecythus olei non est imminutus. Quartum, quod mortuum eiusdem viduæ filium resuscitauit. Quintum, quod eum offerentem holocaustum exaudiuit Dominus per ignem, uidente populo, & dicente. Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus. Sextum, quod orante illo facta est pluuia grandis. Septimum, quod pallio suo percutiens aquas diuisit, & transiuit cum Eliseo. Octauum, quod currus igneus, & equi ignei diuiserunt utrunq;, & ascendit Elias per turbinem in cœlum. Protinus Elisei primum, quod pallio Eliæ percussit aquas, & diuisæ sunt. Secundum, quod aquas pessimas, & terram sterilem sanauit. Tertium, quod illudentes ei pueros ursi lacerauerunt. Quartum, quod congregatis tribus regibus Israel, & Iuda, & Edom quum non esset aqua exercitui, fossas fieri iussit, & repleta est terra aquis. Quintum, quod mulieri viduæ ex modico oleo vasa non pauca impleuit. Sextum, quod mulier, quæ illi ministrauerat, & non habebat filium, conceperit, & pepererit tempore, & hora quam ille prædixit. Septimum, quod mortuum eundem puerum resuscitauit. Octauum, quod in olla eremitica gustus amarissimos dulcorauit. Nonum, quod de viginti panibus hordeaceis comederunt iuxta uerbum eius centum uiri, & superfuit. De-*

cimum, quod Naaman principem militiæ regis Syriæ per lauacrum aquæ à le pra curauit. Vndecimũ, quod Giezi egressus ab eo factus ē leprosus quasi nix. Duodecimum, quod eo mittente lignum, ferrum, quod elapsum fuerat, super aquam natauit. Tertiumdecimum, quod missos contra eum Syros, Dominus orã te illo, cæcitate percussit, donec introduceret eos in Samariam. Quartumdecimum, quod soluta obsidione Samariæ, duo modij hordei statere uno fuerunt: et modij similæ statere vno secundum sermonem eius in porta Samariæ. Quintum decimum, quod dum ægrotaret, præsagium fecit regi Israel, quod tribus uicibus Syriam percussurus esset. Sextumdecimum, quod cum mortuus esset, proiectum est cadauer hominis in sepulchrum eius: & quum tetigisset ossa Elisei, reuixit homo; et stetit super pedes suos.

γ Pater mi, pater mi, currus Israel; & auriga eius) AMB. *Episcopus libro de Nabuthe cap. 15. Vnde cum reciperetur Elias, & curru quasi ad cœlum ferretur, clamauit ad eũ Eliseus. Pater pater agitator Israel, et eques eius. hoc est. Qui populum Domini bono ductu regebas, constantiæ merito hos accepisti currus, hos equos ad diuina currentes quia moderatorem te animarũ humanarum Dominus comprobauit; ideo tanquã boni auriga certaminis victor æterno premio coronaris.*

IN CAPVT. 20.

γ Lætatus est autem in aduentu eorum Ezechias: & ostendit eis domum aromatum &c.) ISID. *Sententiarum libro tertio cap. 23. Virtutes Sanctorum per ostentationis appetitum dominio dæmonum immundorum subijciuntur, sicut Ezechias rex, qui diuitias suas Chaldæis per iactantiam prodidit: & propterea perituras per prophetam audiuit: ut significaret Dei seruum uirtutes suas dum vanæ gloriæ studio prodiderit, statim dæmones suorum operum dominos facere: sicut ille per ostentationem Chaldæos rerum suarum dominos fecit. Optima est illa discretio, ut & nota sint opera nostra ad Dei augendã gloriam; & occulta pro elatione vitanda humana. Ille autem debet publicare bonum quod agit, qui perfecta humilitate fundatus, nulla iam elatione contingitur. Nam is, qui se intelligit adhuc amore laudis pulsari, facta bona in occulto agat, ne forte quod egerit perdat.*

IN PRIOREM ET POSTERIOREM PARALIPOMENON LIBR.

AVCTOR. *Lege ea quæ scripsimus ex Theodorito in hunc, & sequẽtẽ li*

brũ in Quæstionibus nostris, quas in libros Regũ & Paralipomenõ edidimus.

IN PRIOREM ESDRAE.

IN CAPVT. I.

Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli &c. Rup. de *Victoria Verbi Dei libro septimo. cap. 23. Subauditur, qui mihi longe antequam nasce rer ea daturum se promisit, & meum quoq; nomen uocauit: continuo subiunxit. Et ipse præcepit mihi ut ædificarem ei nomẽ in Hierusalem, quæ est in Iudæa. Ac si diceret. Ob hanc causam dedit mihi omnia regna, ut populum eius, pe nes quem est scripta illa de me prophetia, liberum dimittam ad ædificandum do mum in Hierusalem, quæ est in Iudæa. Siquidem Deus idem ubi dixit: Qui uo co nomen tuum; statim subiunxit: Propter seruum meum Iacob, & Israel electum meum. igitur ob hoc mihi omnia regna dedit, ut in populo ipsius gra tiam rependam illi, reddendo illum libertati.*

IN POSTERIOREM ESDRAE SIVE NEHEMIAM.

IN CAP. 3.

Portam autem piscium ædificauerunt) HIER. *in Soph. cap. primo. Portam autem piscium eam, uocabant, quæ Diospolim ducit, & Ioppen, et uicinior mari erat inter cunctas uias Hierusalem. De qua & Esdras refert: Portam uero piscium ædificauerunt filij Asnaa.*

IN LIBRVM TOBIAE.

IN CAP. 12.

Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna, magis quã thesaurus auri recon dere, quoniam eleemosyna à morte liberat &c.) CYP. *de Eleemosyna. Raphael quoq; angelus paria testatur: & ut eleemosyna libenter, ac largi ter fiat, hortatur dicens: Bona est oratio cum ieiunio &c. Ostendit orationes nostras, ac ieiunia minus posse, nisi eleemosynis adiuuentur: deprecationes solas parum ad impetrandum ualere, nisi factorum, & operum accessione satientur. Reuelat angelus, & manifestat, & firmat eleemosynis petitiones nostras efficaces fieri: eleemosynis uitam de periculo redimi, eleemosynis ani mas à morte liberari. Nec sic fratres carissimi ista proferimus, ut non quod Raphael Angelus dixit, ueritatis testimonio comprobemus.*

IN CAP. 8.

¶ Erat autem Iudith relicta eius vidua &c.) FVLGENT. Epistola se cunda ad Gallam. Viuus est ergo ille qui est Verbum Patris: & ideo ipse est fi delium vita. Hunc sanctæ viduæ cordis contritione, & corporis castigatione quæsierunt. Huic cordis, & corporis plena continentia deuotissime seruierunt. De Iudith enim scriptum est: Et erat Iudith in domo sua vidua &c. Ac ne quis illam sanctam viduam non deuotione cordis, sed necessitate paupertatis ex stimet ieiunasse: audi quid de ea in subsequentibus dicitur: Et erat Iudith bo na aspectu &c. Ecce uidua præclara natalibus, facultatibus dives, ætate iu uenis, specie mirabilis diuitias contempsit; delicias respuit, carnis incentiua calcauit: & induta virtute ex alto, non quæsiuit secundo famulari connubio. Propterea testimonio tam præclari operis apparuit, quantum Deo dilecta sit continentia vidualis.

IN LIBRVM ESTHER.

IN CAP. 8.

¶ Tulitq; Rex anulum quem ab Aman recipi iusserat, & tradidit Mardo cheo (HIER in Dan. cap. 3. Et in hoc calumniator Ecclesiæ prophe tam reprehendere nititur, quare non recusarit munera, & honorem Babylo nium libenter susceperit: non considerans ideo Regem uidisse somnium, & in terpretationis mysteria per puerum reuelata, ut Daniel cresceret: & in loco captiuitatis princeps omnium fieret Chaldæorum: & Dei omnipotentia nosce retur. Quod quidem & in Ioseph apud Pharaonem, & Aegyptum factum le gimus; & in Mardocheo apud Asuerum. ut in utraque gente haberent captiui & peregrinantes Iudæi solatia, videntes hominem gentis suæ Aegyptiorũ esse principem, uel Chaldæorum.

IN CAP. 13.

¶ Cuncta nosti, & scis, quia non pro superbia, & contumelia, & aliqua glo riæ cupiditate fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimũ.) RVP. d: Victoria verbi Dei libro octauo. cap. nono. Nam dum homo sine Deo, ho mo seruiens diabolo adoratur, sine dubio diabolus in illo adoratur: & econtra dum homo Dei, homo Deum honorans, & adorans adoratur, uel suscipitur, Deus in illo adoratur, Deus in illo suscipitur. Sed & in hoc distantia magna

est, quod Aman superbus hoc volebat, hoc exigebat, ut adoraretur. David, siue quispiam sanctus, humilis Dei seruus, siue vicarius, adoratione non delectatur, neq; sibi hoc exigit, ut adoretur. Et si aliquando religio fieri hoc exigit, cõstat non fieri ad iniuriam, sed ad honorem Dei: constat non fieri homini, quoniam fit pro nomine Domini.

IN CAP. 14.

¶ Ne tradas Domine sceptrum tuum his qui non sunt) HIER. *in Ez. cap. 26. Non quod esse desistat qui in pœnis est sempiternis, sed quod qui Deo non viuit, in scripturis sanctis dicatur non subsistere. Vnde & Esther contra Idola loquens: Ne tradas, inquit, sceptrum tuum his qui non sunt. Vtiq; erant quibus obsecrat ne tradatur, sed Deo non erant, qui virtutibus, & viuenti Deo esse cessarant.*

IN LIBRVM. IOB.

IN CAP. I.

¶ Quadam autem die cum uenissent filij Dei ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan) AVG. *De uidendo Deo, Epistola. 112. Si quæris quomodo eum vidit uel Cain sceleratus, quando de suo scelere ab illo interrogatus & iudicatus est, vel etiam ipse diabolus quando uenit cum angelis ut cum illo assisteret, si beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Respondeo non quidem esse consequens, ut etiam videãt Deum, qui uoces ab eo factas aliquando audiunt. Neq; enim uiderunt eum qui audierunt, quando dixit ad filium: Et clarificaui, & clarificabo iterum. Veruntamen non est mirandum, si aliqui etiam non mundo corde uident Deum in specie, quam voluntas eius fecerit, latente inuisibili, & apud se incommutabili manente natura.*

IN CAP. 9.

¶ Et innocentem, & impium ipse consumit) ISID. *Sententiarum libro primo. cap. 30. Ad districti examen iudicis nec iustitia iusti secura est nisi pietate diuina; vt & ipsa iustitia, qua quisq; iustus est, Deo iustificante iustificetur: alioquin apud Deum & ipsa peccatum est. Inde est quod ait Iob. Innocentem, & impium ipse consumit. Consumitur quippe à Deo innoxius, quando ipsa innocentia liquidius requisita, & diuinæ innocentiæ comparata nihil efficitur, nisi & ibi misericordiæ pietate homo iustificetur. Consumi.*

tur item à Deo impius, quando examinis diuini subtilitate requiritur, eiusq; de tecta impietas iudicata damnatur. Consumitur innoxius, & impius simul, fine ne carnis, non pœna damnationis.

IN LIBRVM PSALMORVM.

DION. AR. *de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. Porro Psalmorum san cta modulatio, quæ omnibus ferme sacerdotalibus mysterijs iungitur, & sub stantiæ ratione cohæret, summo omnium, principaliq; mysterio deesse non de buit.* ET PAVLO *post. Porro Diuinorum carminum Sacrosancta scri ptura cum id præcipue intendat, ut omnia Dei eloquia, operationesq; concele bret, sacratissimeq; uitam instituentium uirorum verba simul, atq; opera lau det, diuina vniuersaliter canit, atq; exponit ad omnia sacerdotalia sacramen ta suscipienda, atq; tradenda, eis habitum aptissimum inserens, qui illam pie, dignisq; affectibus promunt.*

IN PSALMVM. 1.

℣ Beatus uir, qui non abijt in consilio impiorum, & in uia peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.) CLEM. ALEX. *Stroma teon libro secundo. Beatus vir &c. Queadmodum pisces eunt in tenebris in profundo: qui enim squamis carent (à quibus abstinere Moyses iubet) in imo maris pascuntur:* NEQ. IN *via peccatorum stetit. Quemadmodum ij qui Dominum timere videntur peccant, ut porcus: qui cum esurit grunit: cum au tem saturatus fuerit, dominum non agnoscit.* ET IN *cathedra pestilentiæ non sedit, quemadmodum aues rapaces. Cæterum Moyses admonuit abstinen dum esse à porco, ab aquila, ab accipitre, à coruo, ab omni pisce qui squamas non habet. Hunc locum Barnabas Apostolus ita explicabat.*

℣ Ideo non resurgunt impij in iudicio) IVSTINIAN. *Imp. in edicto de confessione fidei. Concil. tom. primo. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine Vnigeniti filij Dei, Et Spiritus sanctus per prophetam Dauid dicit, Impios nō resurrecturos in iudicio.*

℣ Quoniam nouit Dominus uiam iustorum) EVTHYM. *in Matthæum cap. quinto. Scire enim oportet, quod apud Deum duplex est scientia. Vna qui dem naturalis, qua omnia nouit, ut pote omnium conspector, omniumq; priusq; fiant cognitor. Altera vero magis peculiaris, qua solos iustos cognoscit. No uit, inquit, Dominus uiam iustorum. Et: Cognoscit Dominus uias innocentū.*

Et nouit.

Et: Nouit Dominus qui sunt eius. Eos autem qui vitam habent contaminatam, ignorare se simulat, ut pote cognitione sua indigne conuersantes.

IN PSALMVM. 2.

℣ *Quare fremuerunt gentes &c.*) TERTVLL. *de resurrectione carnis. Atq; adeo si omnia figuræ, quid erit illud cuius figuræ? quomodo speculũ obtendes, sinusq; est facies? Adeo autem non omnia imagines, sed & veritates: nec omnia umbræ, sed & corpora: ut in ipsum quoq; Dominum insigniora quæq; luce clarius prædicarentur. Nam & Virgo cõcepit in vtero non figurate: & peperit Emanuelem nobiscum Dominum Iesum, non oblique. Et si oblique accepturum uirtutem Damasci, & spolia Samariæ: sed manifeste venturum in iudicium cum presbyteris, & principibus populi. Nam & tumultuatæ sunt gẽtes in persona Pilati, & populi meditati sunt inania in persona Israelis. Astiterunt reges terræ, Herodes; & Archontes congregati sunt in unum, Annas, & Caiphas aduersus Dominum, & aduersum Christum eius.*

℣ *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius*) OPT, *de Schismate Donatistarum libro. 3. Vtiq; Ecclesiam, cuius Rex, & sponsus, & caput est. Non in illo monte, ubi non illæ sunt portæ, quas diligit Deus; sed monte Ecclesiæ, qui spiritualiter Sion appellatur. Cuius ecclesiæ portas introeunt innocentes, iusti, misericordes, continentes & virgines, in Psalmo. 85. dum dicit: fundamenta eius in montibus sanctis: diligit Deus portas Sion: Non illius corporalis montis, ubi iam nullæ sunt portæ, & post victorias Vespasiani Imp. uix antiquarum extant indicia ruinarum. Est ergo spiritalis Sion ecclesia, in qua à Deo Patre rex constitutus est Christus, quæ est in toto orbe terrarum: in quo est vna Ecclesia Catholica. Nam Sion Ecclesiam esse & alio loco sanctissimus Dauid propheta testatur dicens. Lauda Deum tuum Sion: quoniam confortauit seram portarum tuarum.*

℣ *Ego hodie genui te*) AMB. *Episcopus in Psalmum. 40. Immaculatus ad Patrem rediit, à quo immaculatus exiuit, quando descendit in terras. Vnde dicit ei Pater. Filius meus es tu, ego hodie genui te: hoc est, generationis meæ in te priuilegium recognosco, quem nulla macula potuit inquinare peccati. ET paulo post. Hodie te genui in quo complacui. Probasti te Filium, qui implesti in omnibus Patris voluntatem. Hodie te genui in quo lucem immaculatæ prolis agnosco. Heri mihi, & hodie ipse es, & in sæculum.* AVG. *in Ench. ad Laurent. cap. 49. Vnde uox illa Patris, quæ super baptizatum facta est: Ego hodie genui te: non vnum illum temporis diem, quo baptizatus est, sed immuta-*

bilis æternitatis ostendit : ut illum hominem ad vnigeniti personam pertinere monstraret. Vbi enim dies nec hesterni fine incboatur, nec initio crastini terminatur, semper hodiernus est.

Postula à me: & dabo ubi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ) SMAR. *in Collectionibus. Cum dicit : Quem constituit hæredem, humanitatem significat. cui dictum est : Pete à me: & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Ergo non iam portio Domini tantum Iacob, & sors eius Israel, sed omnes nationes, & gentes toto orbe diuisas in hæreditatem distinctim sanguis amplectitur Christi.*

IN PSALMVM. 4.

Irascimini, & nolite peccare) HIER. *in Epist. ad Eph. libro secundo cap. quarto. Duplex autem non solum apud nos, uerum etiam apud Philosophos iræ nomen accipitur. Vel cum iniuria lacessiti, naturalibus stimulis concitamur: vel cum requiescente impetu, & furore restincto, potest mens habere iudicium; & nihilominus super eo qui putatur læsisse desiderat ultionem. Arbitror itaq; de priori ira nunc dictum: et nobis quasi hominibus esse concessum ut ad indignæ alicuius rei faciem moueamur: tranquillitatemq; mentis velut lenis quædam aura conturbet: nequaquã tamen intumentis gurgitis furoris impetu subleuemur.* AMB. *Episcopus de officijs libro primo cap. 21. Moralis magister qui naturalẽ affectũ inflectendũ magis ratione doctrinæ, quã extirpandum nouerat, moralia docet. Hoc est : Irascimini ubi culpa, cum irasci debeatis. Non potest enim fieri, ut non rerum indignitate moueamur: alioquin nõ virtus, sed lentitudo, & remissio iudicatur. Irascimini ergo ita, ut à culpa abstineatis. Vel sic. Si irascimini, nolite peccare; sed vincite ratione iracundiam. Vel certe sic. si irascimini, vobis irascimini, quia commoti estis, & non peccabitis. Qui enim sibi irascitur quia cito commotus est, desinit irasci alteri. Qui autem uult iram suam iustam probare, plus inflammatur, & cito in culpam cadit.* GREG. *Pont. in Iob. libro quinto cap. 33. Sed inter hæc sollerter sciendum est: quod alia est ira quam impatientia excitat, alia quam zelus iustitiæ format. illa ex uitio, hæc ex virtute generatur. Si enim nulla ira ex virtute surgeret, diuinæ animaduersionis impetum Phinees per gladium non placasset. Hanc iram quia Heli non habuit, motum contra se implacabiliter supernæ vltionis excitauit. Nam quo contra subditorum uitia tepuit, eo contra illum districtio æterni rectoris exarsit. De hac ira per Psalmistam dicitur. Irascimini, & nolite peccare. Quod nimirum non recte intelligunt, qui irasci nos nobis tantummodo, non etiam proximis delinquentibus volunt. Si enim sic*

proximos, ut nos amare præcipimur; restat ut sic eorum erratibus, sicut nostris vitiis irascamur.

IN PSALMVM. 6.

℣ Laboraui in gemitu meo: lauabo per singulas noctes lectum meum) RIC. PAMP. *in Iob cap.* 10. *Anima quæ in amaritudine esse nouerit, in gaudio illius non miscebitur alienus. Etiam amaritudinem sequitur lætitia: quia nimirum nisi qui prius labores in hac vita pro Christo pertulerit, in gaudio futuræ requiei consors non erit. Laborem utiq; assumere necessarium est: de quo Psalmista: Laboraui &c. Magnus labor est gemitus: & nõ est minus vtilis quando fit pro malis commissis remouendis, quã pro spiritualibus bonis percipiendis. laborans igitur hoc modo in gemitu, lauat per singulas noctes lectum suum. quia conscientiam suam purgat à flagitijs, per singula peccata iudicium faciens contritionis. Et hæc est perfecta progressio pœnitentis, cum nec unum scelus relinquitur; quod salubriter non puniatur.*

IN PSALMVM. 8.

℣ Lunam, & stellas quæ tu fundasti.) DAMASC. *de Fide libro secundo cap.* 7. *Currunt autem irrequieto cursu, quem rerum conditor illis statuit, & quemadmodum illos fundauit: ut inquit diuinus Dauid: Lunam, & Stellas quæ tu fundasti. Per hoc enim quod dixit: Fundasti: significauit stabilitatem & immutabilitatem ordinis, ac cursus illis à Deo indulti. Statuit enim illos in tempora, in signa, in dies, & in annos &c.*

℣ Minuisti eum paulo minus ab Angelis) BERN. *in Cantica Serm.* 73. *Tanto Angelis melior effectus, quanto differentius præ illis nomẽ hæreditauit. Quid enim si in Psalmo legimus minorem ab Angelis? Ne'q; enim non melior quia minor: nec contraria sunt locuti Apostolus, & propheta, quippe habentes eundem Spiritum. Nam si dignationis fuit quod minoratus est, non necessitatis, nihil plane in hoc bonitati præscribitur, sed adscribitur. Deniq; minoratum propheta perhibuit, non minorem; attollens gratiam, & propellens iniuriam. Nam & minoritatem natura recusat, & minoritatem excusat causa. Nempe minoratus est quia ipse uoluit: minoratus sua uolũtate, & nostra necessitate.*

IN PSALMVM. 15.

℣ Multiplicatæ sunt infirmitates eorum) EVTH. *in Matth. cap.* 41. *Aiũt autem quidam, quod si Deo omnia sunt possibilia, utiq; & facere malum Deo*

possibile est. Quibus nos dicimus quod facere malum non est potentiæ, sed impotentiæ. Ideo etiam David *peccata appellauit imbecillitates, siue infirmitates dicens. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum.* Et Paulus ait: *cum nos essemus infirmi, siue peccatores.*

℣ *Insuper & caro mea requiescet in spe: Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem)* LEO. I. *Epistola. 91. cap. 17. In eo vero quod in extrema familiaris Epistolæ tuæ parte posuisti, miror cuiusquã Catholici intelligentiam laborare: tanquã incertum sit, an descendente ad inferna Christo, caro eius requieuerit in sepulchro: quæ sicut vere & mortua est, et sepulta, ita vere est die tertia resuscitata. Hoc enim & ipse* Dominus *denunciauerat dicens ad* Iudæos: *Soluite templum hoc: & in triduo resuscitabo illud.* Vbi Euangelista *subiungit. Hoc autem dicebat de templo corporis sui. Cuius rei veritatem etiam David propheta prædixerat loquens sub persona* Domini Saluatoris, *& dicens. Insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam &c. Quibus vtiq; verbis manifestum est, quod caro Domini & vere sepulta requieuit, & corruptionem non subijt: quia celeriter viuificata reditu animæ resurrexit. Quod nõ credere satis impium est. & ad Manichæi, Priscillianiq; doctrinam pertinere non dubium est: qui sacrilego sensu ita se Christum simulant confiteri, ut incarnationis & mortis, & resurrectionis auferant veritatem.* CONC. Lateran. *sub* Innoc. Tertio *Cap. primo. Quin etiam pro salute humani generis in ligno* Crucis *passus et mortuus, descẽdit ad inferos, resurrexit à mortuis, & ascendit in cœlum. Sed descendit in anima, resurrexit in carne, ascenditq; pariter in vtroq;.* HIER. *in Epistolam ad* Eph. *cap. quarto. Inferiora autem terræ* Infernus *accipitur, ad quem Dominus noster* Saluatorq; *descendit, ut Sanctorũ animas, quæ ibi tenebantur in clusæ, secum ad cœlos uictor abduceret. Vnde & post resurrectionem eius plurima corpora iustorum in sancta ciuitate uisa sunt.* AVG. *Epistola. 57. Et de carne quidem quod eo die in sepulchro sit posita, manifestissimum est Euangelium. Quod uero illa anima in infernum descenderit,* Apostolica *doctrina prædicat,* Quandoquidem *beatus* Petrus *ad hanc rem testimonium de* Psalmis *adhibet; ubi de ipso prædictum esse demonstrat. Quoniam non derelinques animam meam in inferno; ne'q; dabis sanctum tuum videre corruptionem. illud de anima dictum est, quia non ibi est derelicta, unde tam cito remeauit: illud de corpore, quod in sepulchro corrumpi celeri resurrectione nõ potuit.* IDEM. *Epist. 99. Et* Dominum *quidem carne mortificatum aduenisse in infernum satis constat. Neq; enim contradici potest uel prophetiæ, quæ dixit: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, Quod ne aliter quisquã sapere auderet, in actibus* Apostolorum *idem* Petrus *exponit,* Vel eiusdem Petri *illis ver*

bis quibus eum asserit soluisse inferni dolores, in quibus impossibile erat eum teneri. Quis ergo nisi infidelis negauerit fuisse apud inferos Christum?

IN PSALMVM. 16.

℣ Propter uerba labiorum tuorum ego custodiui vias duras) MAXIM. *Const. de Caritate Cent. secunda. Omnes Sermones Domini hæc quattuor cõ plectuntur, præcepta, doctrinas, minas, & promissiones. Et omnem duram di sciplinam propter hæc sufferimus, cuiusmodi est ieiunium, uigiliæ, humi somnũ capere, labores, dolores in ministeriis, contumelias, ignominias, duras tracta tiones, mortem, & similia. Etenim propter sermones labiorum tuorum, inquit ille, ego custodiui vias duras.*

IN PSALMVM. 18.

℣ Lex Domini immaculata &c.) SVID. in verbo νόμος. *lex mul tis nominibus appellatur. Lex dicitur, ut pote quæ optimam uiuendi rationem in ciuitate decernit, atq; constituit. Testimonia, quia peccatores contestatur: & supplicia, quæ legis uiolatores manent, ostendit. Iustificationes, cum do= cet quod iustum est, & quod iniustum est interdicit, eosq; qui recte se gerunt iustos ostendit. Mandatum, cum quid agendum sit in morem Domini mandat, ac iubet. Iudicia, quia Sententias ostendit, & docet quæ nam bona hi qui legem seruauerint consequentur, contra quibus pœnis hi qui legem uiolauerint, affi= ciendi sint.*

℣ Mandatum Domini lucidum, illuminans oculos.) HIER. *in Matth. libro quarto cap. 23. Multa in lege præcepta sunt, quæ typos præferunt futurorum; alia uero aperta sunt: iuxta Psalmistam dicentem: Mandatum Domini lucidum &c. Quæ statim opera desiderant, verbi gratia: non adulterabis: non furtum facies: non testimonium falsum dices &c.*

℣ Delicta quis intelligit) IDEM *in Epist. ad Eph. libro primo cap. 2. Quia scilicet difficile sit radices, & initia intelligere peccatorum.*

IN PSALMVM. 21.

℣ Deus Deus meus respice in me: quare me dereliquisti?) LEO III. *Serm. 16. de Passione, & Resurr. Vox ista, dilectissimi, doctrina est, non querela. Nam cum in Christo Dei, & hominis una persona sit, nec ab eo po tuerit relinqui, à quo non potuit separari; pro nobis trepidis, & infirmis inter*

rogat cur caro pati metuens exaudita non fuerit. Instante enim passione ad sanandum, & corrigendum nostræ fragilitatis metum, dixerat: Pater, si possibile est, transeat a me calix iste: veruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu. Et iterum: Pater, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Qui ergo trepidatione carnis euicta, iam ad paternam transierat uoluntatem; & toto mortis terrore calcato, opus suæ constitutionis implebat, cur in ipso tantæ victoriæ exaltatus triumpho, causam, & rationem, qua sit relictus, id est non exauditus inquirit? nisi ut ostendat alium esse illum affectum, quẽ ad humanæ formidinis excusationem recepit: alium illum quem ex æterno placito Patris pro mundi reconciliatione prælegit? Vnde ipsa uox non exauditi magni est expositio sacramenti: quod nihil humano generi conferret Redemptoris potestas, si quod petebat nostra obtineret infirmitas. MAXIM. de Charitate Cent. 4. Quattuor sunt rationes quibus deserimur. Vna est Oeconomica, ueluti in Deo, ut ob desertionem quæ uidetur, derelicti seruentur. Altera probationis est, ueluti diuo Iobo et Iosepho accidit, ut alter fortitudinis, alter temperantiæ colũna declararetur. Tertia disciplinæ paternæ, quæ declarata est in Apostolo; ut humilitatem animi conseruans, charitatis excellentiam cõseruaret. Quarta est auersionis, seu odij, quæ Iudæis accidit, ut affecti supplicio, ad resipiscentiam reflecterentur. Omnes autem hæ rationes salutares sunt; & Diuinæ bonitatis, ac humanitatis plenæ.

¶ Ego autem sum vermis, & non homo) AIMO in Ionã cap. quarto. Vermis nanq; sine semine de terra oritur: repet humilis: mouetur sine sonitu. Christus de virgine terra natus est: humilis inter probra: nõreclamans in passione.

¶ De venire matris meæ Deus meus es tu.) CONC. Tol. sextũ cap. primo. Ex duabus naturis, & una persona, vnus est Dominus noster Iesus Christus: in forma Diuinitatis æqualis Patri, in forma serui minor Patre. Hæc est enim vox eius in Psalmo. De ventre matris meæ Deus meus es tu.

IN PSALMVM. 23.

¶ Et eleuamini portæ æternales) DION. AR. de Diuinis Nominibus cap. 10. Operæpretium autem est, ut reor, & sæculi, & temporis naturam ex sacris literis discere. Non enim omnino, & absolute ingenita sunt, ac uere æterna ubicunq; dicuntur æterna: sed incorruptibilia atq; immortalia, et immutabilia et eodem modo se se habentia. sicuti cum dicitur: Eleuamini portæ æternales. et similia.

¶ Quis est iste Rex gloriæ? Dominus uirtutum ipse est Rex gloriæ.) IDEM de cœlesti Hierarchia cap. septimo. Istud nanque Theologi apertius indicant:

inferiores scilicet cœlestium spirituum ordines à superioribus Diuinorum operum scientiam honestissime discere: qui uero celsiores omnibus sunt à Deitate ipsa (ut fas est) seorsum sacratius erudiri. Quosdam enim ex ipsis inducunt à prioribus sacramenta perdiscere, Dominumq; cœlestium virtutum esse, ac regem gloriæ, qui humana forma assumptus esset in cælum, aliis docētibus nosse. HIER. in Matth. libro tertio cap. 21. Introeunte Iesu cum turba, tota Hierosolymorum ciuitas commouetur, mirans frequentiam, nesciens veritatem, & dicens: Quis est hic? Quod quidem in alio loco dicentes Angelos legimus: Quis est iste Rex gloriæ? IDEM in Zach. cap secundo. Illud quoq; quod in. 23. Psalmum legimus, Leuate portas, &c. rursumq; ab aliis Angelis dicitur ignorantibus mysterium incarnationis asumptæ. Quis est iste &c. refertur ad Christum. Vbi enim nos legimus, Dominus Virtutum, in hebraico scriptum est, Iehoua Sabbaoth, quod à. 70. interpretibus in παντοκράτορα, id est in omnipotentem vertitur. Ex quo intelligimus, ubicunq; Dominus uirtutum de Christo dicitur, omnipotentem eum debere intelligi. RVF. in Symbolum Apostolorum. Deniq; quia nouus iste ingressus portarum cæli æditius, & principibus uidebatur, uidentes naturam carnis cœlorum naturam penetrantem, dicunt adinuicem, sicut Dauid plenus spiritu enunciat: Quis est iste Rex gloriæ? &c. Quæ uox utiq; non propter Diuinitatis potentiam, sed propter nouitatem carnis ascendentis ad dexteram Dei ferebatur.

IN PSALMVM. 24.

℣ Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas) ANSEL. Prosologii cap. 11. Sed nunquid etiam non est iustum secundum te Domine ut malos punias? Iustum quippe est, te sic esse iustum, ut iustior nequeas cogitari. Quod nequaquā esses, si tantum bonis bona, & non malis mala redderes. Iustor enim est, qui & bonis, & malis, quā qui bonis tantum merita retribuit. Iustum igitur est secundum te iuste, & benigne Deus, & cum punis, & cum parcis. Vere igitur Vniuersæ uiæ Domini misericordia & veritas. Et tamen iustus Dominus in omnibus viis suis. Et utiq; sine repugnantia, quia quos uis punire, nō est iustum saluari. & quibus uis parcere, non est iustum damnari.

℣ Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte uniuersa delicta mea) MAXIM. de Charitate Cent. 1. Humilitas, & malorum tolerantia ab omni delicto liberabunt hominem: Illa quidem animæ, hæc vero corporis affectus resecans. Hoc fecisse beatus quoq; Dauid uidetur, in his quibus ad Deum precatur dicens: Vide humilitatem meam, & laborem meum: & remitte uniuersa delicta mea.

¶ *Et sustine Dominum*) MARC. *de lege* Spirituali. *Qui repugnat semet opponens tristibus aduersitatibus, ille nescius repugnat* Dei *imperio*, *Qui autem easdem suscipit uera cognitione, ille secundū scripturā sustinet* Dominū.

IN PSALMVM. 29.

¶ *Ego autem dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum.*) THEOPHYL. in Abacuch. *Quod uero minime pauci in felicitate, rerumq; copia cōstituti, nullo unquā tempore se se quassandos, & commouendos existiment;* Dauid *testimonium profert, inquiens*: Ego *autem dixi &c.* Nec *reputaui me cum quod tu decorem meum, & splendorem confortasses, ac stabilem hactenus esse feceris, non quod ego dignus forem, cæterum quia tu uolueris.*

IN PSALMVM. 31.

¶ Beati *quorum remissæ sunt iniquitates*, & *quorum tecta sunt peccata*) HIER. *in Osee cap. octauo.* Inter ἀνομίαν, *id est, iniquitatem, & peccatum, hoc interest, quod* Iniquitas, *ante legem*, Peccatum, *post legem est.*

IN PSALMVM. 32.

¶ Verbo Domini *cœli firmati sunt*, & Spiritu *oris eius omnis virtus eorum*) MART. in Epistola ad Burdegalenses cap. 10. Verbo autem Domini &c. Itaq; *nihil discretum in Diuinitate Trinitatis sentiatis: quia nobis* vnus Deus *qui cuncta creauit*, Pater: & vnus, & idem Dominus *per quem omnia facta sunt* Filius eius Iesus Christus: & *unus, idemq;* Deus Spiritus *sanctus*, *in quo omnia subsistunt*. Et *hæc in personis tria diuisa, in* Diuinitate *unus* Deus *indiuisus est.* AMB. de Fide, libro quarto cap. 3. Dic Domine Iesu, *quando terram sine te* Pater *fecerit?* Cælum *enim sine te non fecit; quia scriptum est:* Verbo Domini *cœli firmati sunt*. ATHAN. *de unitate* Dei libro primo. Disci*te itaq; unitum nomen esse in natura* Trinitatis; Psalmographo *approbante*: Verbo Domini &c. Vtiq; *verbum, filium indicauit*: Dominum *autem*, Patrem *designauit*; & Spiritum *oris eius* Spiritum *sanctum dixit*. VICTOR VTIC. *libro secundo*. Vide *q̄ plena sit breuitas*, & *quam clare in sacramentum vnitatis recurrit*. Patrem *in* Domino, Verbi *significatione filiū ponens*, Spiritum *sanctum* Altissimi *ex ore nuncupauit*. Et *ne uocis æditio acciperetur in* Verbo, *cœlos per eum asserit esse formatos*; *ne autem flatus in spiritu reputetur*, *cœlestis in eo uirtutis plenitudinem demonstrauit*. Nam *ubi natus, ibi*

tus ibi necesse est sit persona subsistens; ubi omnis, non ablata à Patre, & Filio, sed consumata significatur in Spiritu sancto. Non ut solus habeat quod in Patre, & Filio est, sed ut totum habeat cum utroq;.

IN PSALMVM. 33.

℣ Benedicam Dominum in omni tempore) IVSTVS *in Cantica. Sed & illi Deum recte diligere approbantur, qui non solum in beneficijs, sed in flagellis ipsius constituti, similiter gratias agunt: sicut & ille qui dicebat: Benedicam Dominum in omni tempore &c. id est & quando lætitiã ex dono capio: & quando dolorem eodem corripiente suscipio.*

IN PSALMVM 40.

℣ Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem) AMB. *de Nabuthe cap. octauo. Misericordia non de meritis iudicare consueuit, sed necessitatibus subuenire: iuuare pauperem, non examinare iustitiam: scriptum est enim. Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem. Quis est qui intelligit? qui compatitur ei, qui aduertit consortem esse naturæ: qui cognoscit quod & diuitem, & pauperem fecit Dominus: qui scit quod sanctificet fructus suos, si de his delibet aliquam pauperibus portionem. Ergo cum habeas unde largiaris, vide ne differas, dicens, cras dabo. ne largiendi amittas copiam. periculosa est de alterius salute dilatio. potest fieri, ut dum tu differs illum, ille moriatur.* LEO. 3. *Serm. sexto de Ieiunio. Dicente autem propheta, Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem, ille circa pauperes vestimentorum, & ciborum laudabilis distributor est, qui se Christum in indigentibus & vestire nouit, & pascere. Quoniã & ipse ait. Quandiu uni fecistis de fratribus his meis, mihi fecistis.*

℣ Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis) IGNAT. *Epistola quinta. Non imaginarie, neq; fallaciter mortuus est, sed uere, & sepultus est, & resurrexit a mortuis. Sicut ipse alicubi orans patrem dicebat: Tu autem Domine resuscita me: & reddã illis. Et Pater, qui semper eum exaudit, respondens ait. Exurge Deus: Iudica terram: quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.*

IN PSALMVM. 43.

℣ Exurge: quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem) DION. AR. *Epist. octaua. Pergens autem inquirere non fallor, si & lau-*

datissimum illum Dei somnum, & euigilationem explicare pergimus: dicēdo, Diuinum somnum esse Diuinam illam excellentiam exceptam à creaturis omnibus, & nulli communicabilem ex ijs quæ prouidentiæ ratione gubernātur. Euigilationem uero attentionem ipsius ad eorum prouidentiam qui disciplina, uel salute indigent.

IN PSALMVM. 44.

℣ *Sedes tua Deus in sæculum sæculi &c.)* EVSEB. *Eccles. hist. libro primo cap. primo. In quibus verbis primo quidem eum euidenter Deum designat: secundo uero per æquitatis virgam, sceptrum in eo regale commemorat. Post uero etiam qualiter Christus effectus sit indicat dicens: Quod unctus sit Deus à Deo, non oleo communi, sed oleo lætitiæ; nec sicut participes sui, id est illi qui in imagine præcesserunt, sed præ participibus suis. Oleo vero lætitiæ in sacris uoluminibus intellectu mystico Spiritus sāctus designatur.* AMB. *in Epist. ad Heb. Cap. primo. Ideo autem dictum est, Præ participibus tuis. quoniam hanc benedictionem supra omne humanū genus siue reges, siue sacerdotes in veteri testamento, etiam Apostolos, & martyres in nouo agnoscitur accepisse, ut unctus singulariter, cæteros ungere debuisset. In illo enim fons est benedictionis, qui put ipsi uisum fuerit, per vniuersos electos cōpetēter emanat.*

IN PSALMVM. 49.

℣ *Immola Deo sacrificium laudis)* ZENO. *libro secundo Serm. 15. Immola, inquit, Deo sacrificium laudis. Primo omnium sacrificiorum tria esse genera nouelle disce Christiane, ne quo seducaris errore. Vnum est enim detestabile, alterum reprobum, tertium mundum. Detestabile, est Gentium, reprobum Iudæorum, populi Christiani mundum. ET infra. Immola inquit, Deo, & non dæmonijs, sacrificium laudis, non uituperationis &c.*

IN PSALMVM. 50.

℣ *Tibi soli peccaui &c.)* AMB. *in Psalmum. 118. Serm. 16. Ideoq; sciens eius potentiam, qui hominem non timeret, ait. Tibi soli peccaui. Non potest hoc iustus negare, quia nemo sine peccato: non potest rex, quia & si leges in potestate habet, ut impune delinquat, Deo tamen subditus est, qui nulli debet: immo plus ipse debet, cui plus commissum est.* IDEM *in Luc. Lib. sexto. Ipse quoq; Dauid dicit: Tibi soli peccaui &c: Ergo is qui peccat, & confitetur Deo peccatum, iustificat Deum, cedens ei uincenti, & ab eo gratiam spe*

rans. In Baptismate igitur iustificatur Deus, in quo est & confessio, & ueænia peccatorum. HIER. in Epist. ad Rom. cap. 3. (Hoc autem Hieronymi opus esse certus, & idoneus testis unicuiq; recte sentienti, ac minime contumaci, esse debet Algerus, qui Hieronymo commentarios illos ascribit libro primo de Eucharistia cap. 8.) Hoc testimonium ita posuit pars aduersa, quasi diceret: Propterea ego peccaui, ut tu iustus appareas me iudicando, sed uerus sensus sic se habet. Quia promiserat se Deus sine personarum acceptione in peccantibus uindicare, & quidam eius patientiam mendacium iudicabāt, uincit cum iudicauerit, quando eorum facta puniet, in quibus nemo putauerat uindicari. Aliter. Probasti te curā de hominibus habere, qui per prophetam mea abscondita reuelasti, et uicisti eos, qui te incuriosum humanū actuū esse cōfingūt.

¶ Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea) LEO primus Epist. 84. Ac per hoc non est instituta regeneratio, nisi quia vitiosa est generatio: usq; adeo ut etiam de legitimo matrimonio procreatus dicat: In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea in vtero me aluit. Neq; hic dixit: In iniquitate, uel, in peccato, cum hoc recte dici posset, sed iniquitates, & peccata dicere maluit: quia & illo vno, quod in omnes homines pertransiuit, quodq; tam magnum est, ut eo mutaretur, & conuerteretur in necessitatem mortis humana natura (sicut supra disserui) reperiuntur plura peccata: alia parentum, quæ licet non possint mutare naturam, reatu tamē obligant filios, nisi gratuita gratia, & misericordia Diuina subueniat.

¶ Asperges me Hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor) AMB. de Sacram. libro quarto cap. secundo. Sanctus Dauid propheta hanc gratiā in figura uidit, & concupiuit. Vis scire quia concupierit? iterum audi dicentem. Asperges me &c. Quare? quia nix quamuis sit candida, cito aliqua sorde nigrescit, atq; corrumpitur: ista gratia quam accepisti, si teneas quod accepisti, erit diuturna, atq; perpetua.

¶ Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies) MARCVS de lege spirituali. Sine corde contrito fieri non potest, ut quis omnino à vitiis liberetur. Conterit autem cor triplex continentia, somni uidelicet, & cibi; & corporis remissio. Cæterum horum superfluens abundantia uoluptatem gignit: uoluptas autem prauas cogitationes ingerit: tum etiam precationi, & congruenti ministerio aduersatur.

IN PSALMVM. 55.

¶ Deus vitam meā annunciaui tibi: posuisti lachrymas meas in conspectu tuo) AMB. in Psalmum. 37. Puto autem quod is qui pœnitentiam gerit, qui se af

ſligit, non bona ſua debeat, ſed commiſſa ſua enumerare peccata. Deniq; verſiculis illis, ut arbitror, hoc docemur, quibus ait: Deus uitam meam nunciabo tibi: &c. Non enim quaſi innocentem vitam annunciant ubi lachrimæ funduntur: quæ ſolent legationem ſuſcipere pro delictis.

IN PSALMVM. 57.

¶ Lætabitur iuſtus cum uiderit uindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris) ISID. Sētentiarū lib. tertio cap. ultimo. Iniquus moriens qui imitatione ſua multos ad culpā traxerat delectatione peccati, multos à culpa reuocat terrore tormenti. Quod etiam Pſalmiſta teſtatur dicens. Lætabitur iuſtus cum uiderit vindictam impiorum: manus ſuas &c. In peccatorum enim morientium ſanguine iuſti lauant manus: quia dum eorum pœna conſpicitur, conſpicientis vita mundatur. cuius enim talis, tam crudelis exitus cernitur, non ſolum qui uiderit, refugit, ſed alios etiam ab imitatione illius quanta ualuerit exhortatione compeſcit.

IN PSALMVM. 61.

¶ Semel locutus eſt Deus.) VICTORIN. martyr in Apocal. Et Dauid ſimiliter, per Spiritum ait. Semel locutus eſt Deus. Quia ſemel decreuit ab initio Dominus, quod futurum eſt uſq; ad finem.

¶ Quia tu reddes unicuiq; iuxta opera ſua) MAX. de Charitate Cent. ſecunda. Cum audieris Scripturam dicentem: Tu reddes unicuiq; ſecundū opera ſua, non ita accipe, quod ea, quæ præter rectum ſcopum fiunt, tametſi bona eſſe videntur, Deus retribuat, ſed quæ ſecundum rectum fiunt. Neq; enim ad opera, ſed ad Scopum operum Diuinum iudicium intentos habet oculos.

IN PSALMVM. 68.

¶ Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me) AMB. in Epiſt. ad Rom. cap. 15. Hoc eſt: Ego cum uoluntatem tuam facerem, dixerunt me peccare in te: quia non me recipiendo quem miſiſti, exprobrauerunt te. Quia Iudæi cum peccarent in Deum, non recipientes quem miſit Chriſtum, inſuper & occiderunt eum quaſi peccantem in Deum, ſic peccata peccantium in Deū ceciderunt ſuper Chriſtum. Innocens enim à peccatoribus occiditur quaſi blaſphemus, ſicut ſcriptum eſt in Euangelio.

IN PSALMVM. 72.

¶ *Vt iumentum factus sum apud te: & ego semper tecum)* THEOD. *de prouidentia lib. 5. Iumento enim quod ab alio regitur, inquit, similis te sequor, minime curiosus in quam me uiam perducas, nec etiam quam illa uel breuis, uel longa, uel laboriosa sit curiosius percunctor, nec illius angustias, arduum ascensum, & præcipitia iniquius fero. Nam mihi à me ipso persuasum est, te, cum bonus sis, uiæ quoq; ducem fore optimum. &c.*

IN PSALMVM. 77.

¶ *Tanquã potens crapulatus à vino)* DION. AR. *Epist. 9. Iuxta hãc nempe sacram conuiuij expositionem & ipse bonorum auctor omnium Deus inebriari perhibetur propter plenissimam, & quæ omnem intelligentiã superet diuinæ epulationis, siue, ut uerius eloquar, bonitatis perfectissimam, atq; ineffabilem immensitatem. sicut enim nostro more in deteriorem partem ebrietas capitur, estq; repletio immodica, per quam mente, & sensu excidimus, ita & in Deo meliorem in partem accipiendo, ebrietas nihil aliud q̃ plenissima bonorum omnium immensitas, quæ in ipso secundum causam præexistit, intelligenda est. Sed & illum, qui ebrietatem comitatur, excessum sensus, atq; sciẽdi, Dei excellentiam quæ omnem refugit intellectum, accipi oportet, per quã excipitur ab intelligendi ratione, cum ea sit excellentia, ut intelligere, atq; intelligi, ipsumq; esse transcendat, ac omnia simpliciter quæcũq; sunt bona. inebriatus esse, atq; excedere dicitur Deus: quippe qui eis omnibus immensitatis totius eminẽtia, et plenissimus ẽ, et rursus extra omnia, et ultra omïa segregatus.*

IN PSALMVM. 78.

¶ *Cito anticipet nos misericordia tua Domine)* CONCIL. *Arausicanũ Can. 14. Nullus miser de quantacunq; miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia præuenitur: sicut dicit Psalmista. Cito anticipet nos misericordia tua Domine. Et illud. Deus meus, misericordia eius præueniet me.*

IN PSALMVM. 82.

¶ *Etenim benedictionem dabit legislator: ibunt de virtute in uirtutem: videbitur Deus Deorum in Sion)* CHROM. *in Matthæi cap. quinto. Ascendit igitur Dominus in montem, ut discipulis suis terrena iam relinquentibus, et*

superna petentibus, velut in alto iam positis præcepta traderet cælestium mandatorum, & prouisa solæ benedictionis diuino munere largiretur: secundum quod Dauid ante testatus fuerat, dicendo. Etenim benedictionem dabit, qui legem dedit. Et ut apertius & gratiam Apostolorum, & auctoritatem tantæ huius benedictionis ostenderet, addidit dicens: Ambulabunt de virtute in virtutem: videbitur Deorum in Sion. Filius scilicet Dei, qui in Sion Apostolis benedictiones donauit. Idē enim in hoc monte benedictionē Apostolis dedit, qui iandudū in monte Sina Moysi legē tradiderat: probās se esse utriusq; legis auctorē.

IN PSALMVM. 84.

¶ Veritas de terra orta est) LACTANT. *libro quarto. Quia Deus; in quo veritas est, terrenum corpus accepit, ut terrenis uiam salutis aperiret.* IREN. *libro. 3. cap. 5. Quemadmodum & Dauid eam quæ est ex Virgine generationē eius, et eam quæ est ex mortuis resurrectionē prophetans ait. Veritas de terra orta est.*

IN PSALMVM. 87.

¶ Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.) AMB. *de Fide Resurrectionis. Nam & si secundum hominem mortuus, in ipsis tamen erat liber infernis. vis scire q; liber? Factus sum sicut homo &c. Et bene liber, qui se poterat suscitare, iuxta quod scriptum est: Soluite hoc templum, et in triduo resuscitabo illud. Et bene liber, qui alios descendebat redempturus. Factus est autem sicut homo, non specie utiq;, sed veritate formatus: Quia & homo est, & quis cognoscet eum?*

IN PSALMVM 95.

¶ Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit.) IVSTINVS *in Dialogo ad Tryphonem. Iudæi ex hoc carmine detraxerunt quod Dauid cecinerat, à ligno. quod de nullo intelligi potest, nisi de Domino nostro Iesu Christo.* AVCTOR. *Dauidē scripsisse Regnauit à ligno, præter Hymnum quem canit Ecclesia, testatur etiam Tertullianus aduersus Marcionem libro tertio, & Arnobius in hunc ipsum Psalmū scribens lectionē hanc agnoscit, et interpretatur.*

IN PSALMVM. 98.

¶ Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius) DAM. PONT. *Epist. quarta. Nulli enim dubium est, quod Moyses, & Aaron soli præcipiente Do*

mino in tabernaculo Dei erigebant altare, soli ungebāt, soli Sacerdotes sacra vnctione instituebant, & alia quæ ad summū sacerdotiū pertinebant (de quibus sufficiēter in Diuinis legitur literis) agebant: quoniam summi Domini sacerdotes erant, sicut de eis scriptum est: Moyses, & Aaron in sacerdotibus eius.

℣ Et Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius.) HIER. in Epist. ad Cor. I. cap. primo. Proprie Sacerdotum est inuocare Dominum: quibus dicitur: Sic benedicite filiys Israel, inuocantes nomen meum super illos. Et Psalmista dicit: Et Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius. Quem sacerdotem fuisse illa res probat, quia & sacerdoti successit, & hostias offerebat. De quo etiam secundum historiam dictum est: Suscitabo mihi sacerdotem fidelem. Qui quāuis non sit ex genere Aaron, tamen de tribu Leui esse in Paralipomenon libro legitur: quia ipse hunc constituit qui & illum. Ita enim Aaron elegit; ut alios postea eligendi non amiserit potestatem.

IN PSALMVM. 103.

℣ Qui facit Angelos suos Spiritus, & ministros suos ignem vrentem) CYR. contra Iulianum libro tertio. Etenim genitos esse Angelos quomodo dubitaret quis? cum ministros eos nominet, & alterius nutibus quasi necessitate subiugatos. seruum enim omne quod sub iugo, liberumq; natura omnino nihil, quod dicitur ministrare. Psallit item diuinus Dauid. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. DAMASC. de Fide libro secundo cap. tertio. Ipse Angelorum factor, & opifex Deus est, ipsos ex nihilo ad esse deducens, ad propriam illos creans imaginem, naturam incorpoream ut Spiritum quendam, aut materialem ignem: quemadmodum diuinus inquit Dauid. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Agilitatem, ignitionem, feruorem, penetrabilitatem, & acumen circa diuinum desiderium, & ministerium designans, atq; ipsorum sursum ferentem ab omni materiali intelligentia liberam puritatem.

℣ Lætabitur Dominus in operibus suis) MAXIM. de Charitate Cent. tertia. Non quasi indigens cuiuspiam Deus per omnia plenus in vitam induxit creaturas, sed ut ipsæ sui ipsius participes conditoris bonitate fruerentur: Ipse vero in suis ipsius operibus lætaretur, videns easdem lætari, & rebus insatiabiliter semper saturari.

IN PSALMVM. 104.

℣ In vniuersa terra iudicia eius) MARCVS de lege Spirituali. Si cō

siderauerit ut ait scriptura, quod in uniuersa terra Iudicia Domini, quicquid acciderit, erit tibi ad Diuinam cognitionem adipiscendam magister.

IN PSALMVM. 109.

7 Dixit Dominus Domino meo. sede à dextris meis) LACTANT. *libro quarto. Christum autem post passionem, ac resurrectionem ascensurum esse ad Deum Patrem Dauid in Psalmo centesimonono contestatus est his verbis: Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis quoadusq; ponam inimicos tuos suppedaneum pedum tuorum. Qui propheta cum Rex esset, quem appellare Dominum suum posset, qui sederet ad dexteram Dei, nisi Christum filium Dei, qui est Rex regum, & Dominus dominantium?* BASIL. *de Spiritu sancto cap. sexto. Neq; enim hæc vox, Dextrum, significat locum inferiorem, quod isti prædicant, sed statum æqualitatis; eo quod Dextrum hic non accipiatur corporaliter: ad istum enim modum fortassis & sinistrū aliquid in Deo possit esse: sed honorificis verbis, ac præsidentiam declarantibus, Filij maiestatem sermo nobis commendat: ut iam nō possint isti dicere, per hanc uocem inferiorem dignitatis gradum significari.*

7 Ex vtero ante Luciferum genui te) EPIPH. *de Hæresi. 65. Ille vero in prophetis de Filio, non corporalem habens molem, sed spiritualem habens Sermonem, ad humanæ naturæ debilitatem descendens, quo per ea quæ inter nos fiunt, ad sensum declaret, quod ex ipso vere genitus est Deus ex Deo, Deus verus ex Deo vero, non extrinsecus existens, sed ex essentia ipsius, dicit in Dauide loquens: Ex ventre ante Luciferū genui te: uolut Septuaginta interpretati sunt: verum ut alij interpretes, Aquila quidem, Ex utero excitatæ infantiæ tuæ tibi ros. Symmachus uero: Velut diluculo roris iuuentus tua. Theodotion autem: Ex vtero à matutino iuuentutis tuæ. Quinta uero æditio: Ex utero à matutino tibi ros in iuuentute tua. sexta æditio: Ex ventre quærent te ros iuuentutis tuæ. In Hebraico uero clare, & citra ambiguitatem: Ex uentre ante Luciferum genui te. Quo ex sermone cognoscas, quod Deus Verbum in substantia ex Patre natura genitus est sine principio, & sine tempore, antequā quicquam esset. Non enim Luciferum solum dixit stellam, & quidem cū multa sint sidera & Sol, & Luna in quarta die facta, mare vero, & ligna, et fructus antea facti, firmamentumq; terræ, ac cœli, & cum his simul Angeli facti fuerint. Nisi enim vna cum cœlo, & terra Angeli quoq; creati essent, non unq; dixisset ad Iob. Quando genita fuerunt sidera, laudauerunt me Angeli mei uoce. Itaq; ante Luciferum, quasi diceret, Antequā esset quid, et creatum esset. Erat enim semper Verbum cum Patre: per ipsum enim omnia facta sunt:*

cta sūt: & sine ipso factū est nihil. AMB. *de Fide lib. quarto cap. quarto.* De *niq; de eadem sapientia, hoc est, de* Domino *Iesu, alibi* Pater *dicit:* Ex *utero ante* Luciferum *genui te. Quod utiq; ideo dixit, non ut corporalem aluum declararet, sed ut proprietatem ueræ generationis ostenderet.* Nam *si ad corporalia referas, ergo omnipotens* Pater*, cum dolore, & conceptione generauit.* Sed *absit ut* Deum *ex infirmitate corporis metiamur.* Est *quidem uterus pater næ arcanum substantiæ, interiusq; secretum, quod non* Angeli*, non* Archan*geli, non* Potestates*, non* Dominationes*, non aliqua creaturarum potuit penetrare natura.* ISID. *de Fide libro primo cap. sexto.* Ad *quem cum* Pa*ter in* Psalmis *de illa æterna natiuitate diceret:* Ex *vtero ante* Luciferum *genui te: rursum futuram eius incarnationem item ostendens, subiecit dicens:* Et *quasi de vulua orietur sibi ros adolescentiæ tuæ.* IDEM *cap.* 11. Nam *cum dixisset* Propheta *de* Christo: Dixit Dominus &c, *confestim uox* Pa*tris consecuta est, dicentis ad* Filium: Ex *vtero ante* Luciferum *genui te: & quasi de uulua orietur tibi ros adolescentiæ tuæ.* AVCTOR. Versiculum *hunc,* Et *quasi de uulua orietur tibi ros adolescentiæ tuæ: quē, ut puto, eruditus aliquis lector ex una aliqua æditione in margine codicis sui ascripserat, ineruditus aliquis librarius in contextum redegit.* VICTOR Vticensis *libro secundo.* Sicut *ipse* Pater Deus *apertissimum perhibet testimonium.* Qui *ut de sua ineffabilis naturæ substantia proprium filium genuisse monstraret, ad instruendam fragilitatis nostræ imperitiam, ut nos ex uisibilibus ad inuisibilia erigeret, terrenæ natiuitatis uocabulum ad diuinæ generationis traxit exemplum dicens:* Ex *vtero ante* Luciferum *genui te.* Quid *clarius, quid luculentius essari* Diuinitas *dignaretur? quibus indicijs; quibus existentiū rerum exēplis proprietatem genertionis ostenderet?* Non *quia corporeis cōpositus est membris, aut aliquibus artuum lineamentis distinctus, sed quia nos aliter ueritatem* Diuinæ *generationis auditu mentis percipere non possemus, nisi humani uteri prouocaremur vocabulo, ut ambigi ultra non possit de* Dei *substantia natum esse, quem constat ex* Patris *vtero extitisse.*

℣ Tu *es* Sacerdos *in æternum secundum ordinem* Melchisedech) LEO *tertius* In *anniuersarium diem assumptionis suæ.* Hoc *est nō secundum ordinem* Aaron*, cuius sacerdotium per propaginem sui seminis currens temporalis ministerij fuit, & cum veteris testamenti lege cessauit: sed secundum ordinem* Melchisedech *in quo æterni pontificis forma præcessit: & dum quibus parentibus sit æditus non refertur, in eo ille intelligitur ostendi, cuius generatio non potest enarrari.*

IN PSALMVM. III.

℣ *In memoria æterna erit iustus)* ODO. CAMER. *in* Canonē Missæ.

Sanctorum autem erga nos duplex est auxilium. Alterum ex ijs quæ in hac vita peregerunt meritorijs operibus, quorum apud Deum nunquam erit obliuio: quoniam In memoria æterna erit iustus, neq; dubium quin & iustitia eius: alterum vero, ex eorum precibus, quas pro nobis in gloriam translati indesinenter effundunt.

IN PSALMVM. 112.

Qui in altis habitat; & humilia respicit in cœlo, & in terra) LEONT. *in Vita Ioannis Alexandrini Episcopi. Etenim Christus formam serui assumpsit, docens nos non superbire contra conseruos nostros. Vnus est enim Dominus omnium in cœlis habitans, & humilia respiciens. Non dixit sublimia, sed humilia respicit.*

IN PSALMVM. 113.

Qui fecit cælum, & terram: Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum) CLAVDIAN. *de statu animæ libro secundo cap. 12. Istic animaduertendum est, aliud esse cœlum, & aliud cœlum cœli. Quippe cum cœlum cœli dicitur, tale est, ac si, cœlum, & terra dicatur. Imum nempe siderei cœli hæc terra est. Sed cum ante omne temporaneũ creauerit Deus cœlum, & terram, secundoq; die hoc uisibile cœlum fecerit, est ergo cœlum æuo terræ posterius, cum tanta sit qualitate præstantius. Sed quoniam vices & spatia temporum, & moras dierum momentaria mundi creatio non amittit, quia dies ex dierum numero magis, q̃; spatio. nullum differendi nunc tempus est. Illud intellige quod propheta inter cœlum, & cœlum cœli tantam differentiam fecit, quanta firme est inter hoc cœlum, & terram. Et sicut terra, huius scilicet cœli hæc terra est, ita hoc cœlum illius cœli porro sit terra. Vnde conijciendum est, mundi corpus uniuersum diuinitus terram dici, & illud, quod Domino datum est, proprio nomine cœlum uocari, scriptura nanq; sic loquitur. Cælum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum.* ET *paulo post. Ac per hoc ita tenus corporeum cœlum, quia uidelicet hominibus datum est, terra dicitur: sicut aquarum, & aeris corpora non utiq; eiusdem corpulentiæ cuius est terra; tamen quia filijs hominum data sunt, terra dicuntur: adiecto eo, quod omnium sensualiter viuentium, principaliter tactus terra est.*

IN PSALMVM. 118.

Qui a factus sum sicut vter in pruina) IOANN. CASSIAN.

libro primo cap. 12. Ideoq; illos tantumodo legimus in scripturis sanctis cingulo fuisse præcinctos, in quibus seminaria coitus inueniuntur extincta: quiq; illud beati Dauid eloquium opere, atq; virtute decantant: Quia factus sum sicut vter in pruina: Eo quod erasa medullitus carne vitiorum emortuam exterioris hominis cutem Spiritus virtute distendunt. Et iccirco, In pruina, significanter adiecit, quod scilicet nequaquã fuerint sola carnis mortificatione contenti, verum etiam exterioris hominis motus, & ipsius naturæ incentiua continentiæ pruina extrinsecus accedente habuerint congelata: nullum iam dumtaxat secundum Apostolum regnum peccati in suo mortali corpore sustinentes; nec gestantes carnem Spiritui repugnantem.

℣ Anima mea in manibus meis semper) HIER. in Epist. ad Suniam, & Fretelã. Sed sciendum est, & apud Hebræos, & apud Septuaginta, & apud alios omnes Interpretes scriptum esse: In manibus meis: & non, In manibus tuis. Et omnes apud Græcos Ecclesiastici interpretes istum locum sic edisserũt: & est breuiter hic sensus. Quotidiæ periclitor: & quasi in manibus meis sanguinem meum porto: & tamen legem tuam non obliuiscor. PHILIPP. in Iob. libro primo cap. 13. Ipsam uitam suam, quæ solet pro animæ vocabulo dici, portare se ait in manibus suis: quod est, Me iam nunc tormentis deficientem, animam exeuntem, uelut efferendam, porto in manibus: hoc sensu & prophetam arbitror dixisse ad Deũ: Anima mea in manibus meis sẽper.

IN PSALMVM. 138.

℣ Semitam meam, & funiculum meum inuestigasti) HIER. in Ioel. cap. tertio. Aut funiculum significat, aut iuxta Aegyptios mensuram certi itineris, Psalmista dicente: Semitam meam, & funiculum meũ tu inuestigasti. In Nilo enim flumine, siue in riuis eius solent naues funibus trahere, certa habentes spatia, quæ appellant funiculos: ut labori defessorum recentia trahentium colla succedant. Nec mirum si unaquæq; gens certa uiarum spatia suis appellet nominibus: cum & Latini mille passus uocent, & Galli Leucas, & Persæ Parasangas, & Rastas uniuersa Germania, atq; in singulis nominibus diuersa mensura sit.

IN PSALMVM. 146.

℣ Magnus Dominus noster, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus.) CONC. TOL. 11. Hæc ergo sancta Trinitas, quæ uerus, & vnus est Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero, In relatione enim personarum numerus cernitur: in Diuinitatis uero substantia quid enume

randum sit non comprehenditur. Ergo hoc solo numerum insinuant, quod ad inuicem sunt, & in hoc numero carent, quod in se sunt. Nam ita sanctæ huic Trinitati vnum naturale conuenit nomen, ut tribus personis non possit esse plurale. Ob hoc ergo credimus illud in sacris literis dictum: Magnus Dominus noster &c.

IN PSALMVM. 149.

℣ Cantate Domino Canticum nouum) GILB. in Cantica canticorum Serm. quarto. Deniq; & Dauid in fine Psalmorum cum omnem creaturam in laudem Dei concitasset, Cantate, inquit, Domino canticum nouum. Vere nouũ, cuius nescit antiquitatem materia: fastidium gratia, quæ semper est amore recens, usu recentior. Vere enim nouum, quod hominum animos ad æternam innouat beatitudinem.

IN PSALMVM. 150.

℣ Laudate eum in virtutibus eius: Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius) GREG. in Iob. libro nono cap. decimo. Diuinæ fortitudinis facta tunc verius explemus, cum hæc nos explere non posse cognoscimus: tunc facundius loquimur, cum ab his obstupescendo reticemus. Ad narranda quippe Dei opera habet defectus noster quam sufficienter exerat linguam suã: ut quæ comprehendere idoneus non ualet, hæc idonee mutus laudet. Vnde bene per Psalmistam dicitur: Laudate eum in potentatibus eius: laudate eum secũdum multitudinem magnitudinis eius. Ille quippe Dominum secundum multitudinem magnitudinis eius laudat, qui se succumbere in eius laudis expletione cõsiderat.

IN LIBRVM PROVERBIORVM.

IN CAPVT. 22.

℣ Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui) SIRITIVS PONT. Epist. 3. Perlatum itaq; est ad conscientiam Apostolicæ sedis, contra ecclesiasticum Canonem præsumi, & quæ ita sunt à maioribus ordinata, ut ne uel leui susurrio debeant uiolari, proprias quosdam obseruationes nouas inducere, & prætermisso fundamento supra arenam velle construere: dicente Domino: Non transibis terminos, quos constituerunt patres tui. Quod & sanctus quoq; Apostolus noui & ueteris testamenti prædicator monet, in quo locutus est Christus: State, inquit, & tenete traditiones nos-

stras, quas didicistis siue per verbum, siue per epistolam. INNOCENT. *primus Epistola octaua. Non semel, sed aliquotiens clamat scriptura Diuina: Transferri non oportere terminos à patribus constitutos, Quia nefas est, si quod alter semper possederit, alter inuadat.* ALEX. *primus Pont. Epist. prima. Terminos indubitãter transgreditur, qui statuta patrũ postponit, atq; cõfundit.*

IN CAPVT. 26.

¶ *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis: Responde stulto iuxta stultitiam suam ne sibi sapiens esse uideatur.)* HIER. *in Ezech, cap. primo. Melius est autem in diuinis libris transferre quod dictum est, licet non intelligas quare dictum sit, q; auferre quod nescias. Alioquin & multa alia, que ineffabilia sunt, & humanus animus capere non potest, hac licentia delebuntur. Nos autem hoc dicimus, quod quomodo in Prouerbijs in eodem loco scriptum est: Ne respondeas stulto secundum stultitiam suam, ne similis ei fias. Et rursum ponitur quod nobis videtur esse contrarium: Respõ de stulto &c. Et utrunque pro temporum, & personarum diuersitate concordat, dum & stultus contemnitur, quia non recipit sapientiam: & stulta superbia alia decutitur stultitia, iuxta quod & Apostolus dicit. Factus sum insipiens: uos me coegistis: Ita & in loco &c.*

IN CAPVT. 28.

¶ *Beatus homo, qui semper est pauidus)* AVCTOR INCERT. SVB NOMINE TIMOTH. *libro secundo ad Ecclesiam Catholicã. Nihil ergo, inquit aliquis, inter sanctos, & peccatores est? Multum plane, & pene immensurabile. Sed quia scriptura dicit: Beatus homo qui semper est pauidus, & nunq; est de salute propria mens secura sapientis: licet multũ inter sanctos, & peccatores sit, quæro tamen ab omnibus religionem professis, quis sibi iuxta suam conscientiam satis sanctus sit. Quis de illa futuri examinis tremenda seueritate non trepidus? quis de perpetua incolumitate securus? Quod si vtiq; non est, sicuti neq; esse debet, dicat mihi obsecro quilibet hominum, cur non totis substantiæ suæ viribus id adnitatur, vt vel mortis deuotione redimat, quicquid vitæ offensione contraxit.*

IN CAPVT. 30.

¶ *Quod nomen est eius, & quod nomen filij eius, si nosti?)* IGNAT

Epist. octaua. Vnus quoq; & Filius, Deus verbum : *Vnigenitus, inquit, qui est in sinu Patris*, Et rursum : *Vnus dominus* IE*sus Christus*: Et alibi: *Quod est nomen eius, aut quod est nomen filij eius?*

IN ECCLESIASTEN.

IN CAPVT. 1.

Qui addit scientiam, addit & dolorem) GREG. *in* Iob. *libro*. 18. *cap.* 26. *Quia quanto plus homo cæperit scire quid perdidit; tanto plus lugere incipit corruptionis suæ sententiam quam inuenit. Considerat nanq; vnde, quo lapsus est: quod à paradisi gaudijs ad erumnas uitæ præsentis, ab Angelorum societatibus venit ad curas necessitatum : pensat in quot iam periculis iacet, qui prius sine periculo stare contempsit.*

IN CAPVT. 7.

Noli *esse iustus multum*) AMB. *de* Obitu Theodosii. *Neq; tamen iustitia sine misericordia est, neq; sine miseratione iustitia. quia scriptum est:* No*li esse nimium iustus. Quod supra mensuram est, & si bonum est, tamen tu non sustines.* Mensuram *serua, ut secundum mensuram recipias.* FERRAND. *in* Parænetico Regula. 6. *Quia utiq; multum iustus esse culpabiliter nititur, qui per omnem iustitiam proximi examinat vitam, fragilitatis humanæ consideratione postposita : tanquam sine peccato ualeat viuere, quisquis incipit peccata uitare.*

IN CANTICA CANTICORVM.

DION. AR. Epist. *nona*. *Quid item Canticorum carnales, atq; adamatorios q; plurimos affectus, & quæcunq; alia sacra, & visibilia signa occultis obducta, & in multitudinem excrescentia,* Diuina *fictio sacris audacius inseruit, atq; effinxit, singularibusq;, & indiuiduis, quæ diuisionem admittunt, & figuratiua, atq; multiformia, ijs, quæ formam, figuramq; nō capiunt? Quorum profecto si quis intueri posit intimum, secretumq; decorem, mystica esse omnia, & diuina mirabitur, atq; ingenti Theologiæ lumine plena. Neq; enim putandum est visibilia signa sui causa fuisse conficta, uerum arcanæ illius, plurimisq; inuisibilis scientiæ : iccirco velata, ne profanis fierent peruia, quæ sacratissima sunt : solisq; veris, ac legitimis* Diuinitatis *amatoribus aperta paterent. quippe qui puerilem omnem sensum, atq; imaginem sacra signa discuciēdo deponerent : ac simplicitate animi, & contemplatiuæ ratione virtutis ad*

simplicem illam, atq; omnino mirabilem, ac supereminentem signorum verita tem penetrare sufficerent. CHRYSOST. *in Epist. ad* THESS. 1. *hom.* 6. *Si vero quæpiam ex Canticis etiam sibi deligere uolet, secretiora illa excipiens, audiet illum ad unamquamq; animam sibi competentem sermocinari, & dicere: Formosa mea, columba mea. Quid autem his verbis suauius? Vides colloquium Dei cum hominibus?* AVG. *in Speculo. Restat ille liber Salomonis; cuius inscriptio est, Canticum Canticorum. Sed de illo in hoc opus quid transferre possumus? cum totus amores sanctos Christi, & Ecclesiæ figurata locutione commendet; & prophetica pronuntiet altitudine: nisi quod in eo, quamuis sit ad intelligendum difficillimus, possumus tamen facile aduertere, quantum sit diuina illa, & diuinitus inspirata charitas appetenda, quantiq; pendenda.*

IN LIBRVM SAPIENTIAE.
IN CAPVT. 1.

℣ *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum)* THEOPHIL. ALEX. *Libro Paschali primo. Quod nunquam scriptura memoraret, nisi irrationabilia quæq;, & inanima illius numine complerentur.*

IN CAPVT. 7.

℣ *Spiritus vnicus, multiplex.)* PETRVS DAM. *in libro qui inscribitur, Dominus vobiscum, cap. sexto. Sancta nanq; Ecclesia licet personarum sit multiplicitate diuersa, in unum tamen est sancti Spiritus igne conflata. Atque ideo & si per corporalem situm partibus videntur diuidi, vnitatis tamen intimæ sacramentum nullatenus à sua valet integritate corrumpi. Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Itaq; iste Spiritus qui est procul dubio & vnus, & multiplex. vnus in maiestatis essentia, multiplex per diuersa Charismatum dona, dat Ecclesiæ sanctæ quã replet, ut & in vniuersitate sit una; & in suis partibus sit tota.*

℣ *Siritus incoinquinatus)* AMB. *de Spiritu sancto libro tertio cap.* 19. *Immaculatus dicit Scriptura. Nunquid mentita est de Filio, ut de Spiritu credas esse mentitam? Dixit enim propheta in eodem loco de sapientia, Quia nihil maculosum in illam incurrit. Ipsa immaculata est, & immaculatus eius est spiritus: ergo si peccatum non habet Spiritus, Deus est.*

℣ *Candor lucis æternæ.)* AVCTOR. *Græca dictio* ἀπαύγασμα *splendorem, siue potius (ut ita dicam) relucentiam, ac resplendentiam signi-*

ficat. CONC. TOLET. 11. *Nam si attendamus illud, quod scriptura sancta dicit de sapientia: Splendor est lucis æternæ: Sicut splendorem luci uidemus inseparabiliter inhærere: sic confitemur Filium à Patre separari nõ posse.*

IN CAPVT. 8.

¶ *Attingit ergo à fine usq; ad finem fortiter: & disponit omnia suauiter)* DION. AR. *de Diuinis nominibus cap. 7. Ratio uero Deus à sacris eloquijs nominatur, non solum quia rationis, & mentis, sapientiæq; auctor est, sed etiã quia causas omnium vniformiter in se anticipat: & quoniam per singula discurrendo dispensat usq; ad omnium finem, ut tradũt Eloquia.*

¶ *Amator factus sum formæ illius)* IDEM *Cap. quarto. Iam uero quibusdam ex nostris sacrorum tractatoribus uisum est Amoris nomen, Dilectionis, Charitatis ue nomine diuinius esse. Scribit enim & diuinus Ignatius: Meus amor crucifixus est: atq; in ipsis primis Introductionibus ad sacra quendam de diuina sapientia dicentem audies: Amator equidem formæ illius sum effectus.*

IN ECCLESIASTICVM, SIVE SAPIENTIAM IESV FILII SIRACH.

IN CAPVT. 2.

¶ *Væ peccatori terram ingredienti duabus vijs)* GREG. *In Iob libro primo cap. 26. Sunt nanq; non nulli qui in bonis quæ faciunt, simplices nõ sunt, dum non in his retributionem interius, sed exterius fauorem quærunt. Vnde bene per quendam sapientem dicitur: Væ peccatori terram ingredienti duabus vijs. Duabus quippe vijs peccator terram ingreditur, quando & Dei est, quod opere exhibet, & mundi, quod per cogitationem quærit.*

IN CAPVT. 3.

¶ *Et peccator adijciet ad peccandum)* EVSEB. EMES. *hom. ad Monachos. 3. Scriptura vero pronuncians de his, qui dum primas negligentias prætermittunt, in alias, atq; alias semper incurrunt, ita ait: Peccator adijciet semper ad peccandum. De profectu vero dicitur: Et sanctus adhoc sanctificetur. Videamus primum quid est: Peccator adijciet ad peccandum. Verbi gratia. Mali cuiuslibet, aut obtrectationis passio impugnare me cœpit, si non statim pœnitudo eius me momordit, cras tanta mihi huius vitij facilitas ueniet, & quædam (ut sic dixerim) suauitas, ut reuocare me ab illo, & continere non*

posfim

possim. Ita enim eueniet, *ut qui primo tempore emendare noluerit, incipiat in sequenti nec velle, nec posse.*

IN CAPVT. 24.

Ego ex ore altissimi prodiui) AMB. *de Fide contra Arrianos cap.* 2. *Hæc est inquam illa sapientia* Dei, *quæ dicit* : Ego ex ore *altissimi prodiui. vniuersitatis conditrix, & effectrix, id est filius* Dei, *per quē omnia, & in quo omnia.*

IN CAPVT. 27.

Stultus ut luna mutatur.) AMB. *in Psalmum.* 26. *Id est quod sæpe variatur, nec in sua perseueret sententia: & tanquā in tenebris lumen videatur offundere, nec tenera.* ANGEL. *in*: 1. Reg. *Cap.* 1. Vnusquisq; *insipiētium non est unus, sed multi.* Vnde *scriptura: stultus ut luna mutatur.* Luna *cum uidetur una esse per substantiam, per mutationem dierum semper ipsa alia est, & diuersa: Sic & peccatores qui mutantur à sapientia, & scientia, & diuersa concupiscunt, instabiles efficiuntur in omnibus uijs suis.*

Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet) CHRYSOST. *De incomprehensibili* Dei *natura hom.* 3. *Verissima nāq; illius sententia est, qui blasphemis inquit hominibus*: Qui *in altum &c.* Quemadmodum *enim qui lapidem illò iaculatur, corpus cæleste non attingere, ne dum lacerare potest, plagam autem suo capite excipit, cum lapis eodem unde iaculatus est redent, ita qui beatam illam blasphemat substantiam, ut nunquā offendere eam potest, cum longe potior, atq; excelsior sit, q; ut affici aliquo possit detrimento; sic ferrum aduersus animam suam acuit, & parat, cum se ingratum* Domino *bene merenti exhibet.*

IN ESAIAM.

IN CAPVT. 1.

Audite cæli, & auribus percipe terra : quoniam Dominus *locutus est.*) AMB. *in Psalmū.* 118. *Serm.* 14. *Testatur elementa* Dominus *ad redarguēdos eos, qui nolunt præcepta diuina seruare : ut refugia omnia excusationis obsepiat.*

IN CAPVT. 6.

Væ mihi quia tacui, quia uir pollutis labijs ego sum, & in medio populi pol

luta labia habentis ego habito: & Regem Dominum exercituũ vidi oculis meis) MAXIM. de Charitate Cent. 1. Quando propter Charitatem à diuina cognitione mens rapta fuerit, atq; extra res humanas constituta, diuinam, & incomprhensibilem magnitudinem senserit, tunc secundum Esaiam præ stupore in sui ipsius humilitatis cognitionem delata, cùm affectu prophetæ verba effatur: Væ mihi quia tacui &c.

℣ Excæca cor populi huius: & aures eius aggraua: & oculos eius claude: ne forte uideat oculis suis: & auribus suis audiat, & corde suo intelligat: et cõuertatur; & sanem eum) GELAS. PONT. Tomo de anathematis uinculo. Hic etiã correctio, & emẽdatio interdicta monstratur, & resipiscendi quoq; spes prorsus abscinditur. De quo tamen populo Apostolos, & Ecclesiam primitiuam nouimus processisse, & tot millia hominum vna die baptismate fuisse saluata. Ecce & in persistentibus qualis est illa sententia promulgata permãsit, nec ad correctionem prorsus uenire sanitatis admissi sunt: sed adiudicati sunt in sua nequitia deperire, & manente diuina sententia non per ipsorum propriam emendationem, suoq; intellectu, uel motu, suaq; virtute, uel possibilitate conuersi sunt ut sanarentur, sed per gratiã Dei sanati sunt, ut conuerterenntur. Ne conuertantur, inquit, & sanem eos. Ne sua sponte, ne suis operibus, utique quibus confidebant, ne suam iustitiam sectantes, iustitiæ Dei non debeant esse subiecti, de suis uiribus confidentes, non diuinæ se misericordiæ, illuminationiq; subdentes. Et ideo inhibetur eis superbæ præsumptionis effectus, ne conuertantur suis intentionibus, suis nisibus, ut putarant, & sanẽ eos: ne eorum quasi meritis ex propria facultate uenientibus, saluatrix gratia daretur: atq; ita gratia iam non esset gratia, si non gratis data esset immeritis, sed merces tanquã meritis restituta. Non ergo ipsi conuertantur, & sanem eos, sed sanati per gratiam, qualiter ad humilitatem Christi conuertantur, agnoscãt. Ita in utrisq;, hoc est & in eo, permanentibus, in quo talem sententiam perceperunt, & in saluatis, exinde sententia dominica fixa permansit, et tamen cum permanente sic eis miro genere sanitas introducta est, ut illa sententia non mutata uideretur, sed eadem perdurante, sanitas, non eorum confidentia, sed diuino munere prouenirer.

IN CAPVT. 9.

℣ Paruulus enim natus est nobis: & filius datus est nobis) AMB. libro tertio de Spiritu sancto cap. secundo. Datus est autem à Patre, ut Esaias dixit: Puer natus est nobis: filius datus est nobis. Datus est autem, audeo dicere, & à Spiritu qui missus à spiritu est. Cum enim non definitum fuerit, à quo

datus sit, ostendit datum gratia Trinitatis. Cum autem ipse se Filius dederit, utiq; non potuit ipse sibi secundum diuinitatem esse subiectus. Ergo non potuit diuinæ subiectionis esse quod datus est. ISID. *de fide libro primo cap. sexto. Paruulus enim Christus, quia homo: & natus nobis, non sibi. Quod enim homo factus est, nobis proficit: & ideo nobis natus est. Filius autem datus est nobis: cuius, nisi Dei, filius?* EVSEB. EMES. *hom. 1. Natus est nobis qui sibi erat: datus est ergo ex diuinitate, natus ex virgine. Natus, qui sentiret occasum: datus, qui nesciret exordium: Natus, qui & matre esset iunior; datus quo nec Pater esset antiquior. Natus, qui moreretur, datus, ex quo uita nasceretur. Ac sic qui erat, datus est, qui non erat, natus est. Illic dominatur, hic humiliatur: sibi regnat, & mihi militat. Quod uero audiuimus: Paruulus natus est nobis: paruulus datur, quia exinaniuit semet ipsum: & formam serui, non deposita, sed abscondita maiestate suscepit: ut & humanis oculis uideri posset: & seruum Domini claritate uestiret.*

IN CAPVT. 11.

¶ Egredietur uirga de radice Iessæ: & flos de radice eius ascendet) AMB. *de benedictionibus Patriarcharum cap. quarto. Radix, familia Iudæorum: Virga, Maria: Flos Mariæ, Christus est: qui fœtorem mundanæ colluuionis aboleuit, odorem uitæ æternæ infudit.*

IN CAPVT. 40.

¶ Quis appendit tribus digitis molem terræ) PASCHAS. *de Spiritu sancto libro primo cap. secundo. Ne hoc de duabus personis asserere coneris, alio loco Esaias digitorum numero loquitur Trinitatem dicens: Quis appendit tribus digitis molem terræ? Quid euidentius de Trinitatis unitate? quid clarius? Non ne hic in tribus digitis potentiæ unius æqualitatem sub quadam mysterij lance librauit?*

IN CAPVT. 48.

¶ Et nunc Dominus misit me, & Spiritus eius) CONCIL. TOLET. 11. *Missus tamen Filius non solum à Patre, sed & à Spiritu sancto missus esse credendus est: in eo quod per Prophetam dicit: & nunc Dominus misit me, & Spiritus eius.* PASCHAS. *de Spiritu sancto libro primo cap. septimo. Alter ergo in persona est Dominus Pater, alter Spiritus Dei Patris. Itaq; dūà*

Patre, & Spiritu sancto destinari Filius legitur; sub trium nomine personarum Spiritus sanctus à semet ipso subsistere euidenter aperitur. ANSELM. de processione Spiritus sancti. Si autem dicunt quia Spiritus sanctus mittit etiam Filium, sicut idem ipse dicit per prophetam: Et nunc Dominus &c. hoc secũdum hominem quem gerebat, intelligendum est; qui Patris, & Spiritus sancti vna uoluntate, & dispositione mundum redempturus in mundo apparuit.

IN CAPVT. 53.

℣ Generationem eius quis enarrabit? quia abscissus est de terra viuentium) CYRILL. in Ioannem cap. primo. Merito igitur stupore perculsus clamat Esaias: Generationem eius quis enarrabit, quia sublata est à terra uita eius. Tollitur enim profecto à terra generationis unigeniti ratio: omnẽ enim mentẽ excedens, omnemq; rationem humanam superans, ineffabilis est. EVSEB. CAESAR. hist. Eccl. libro primo cap. primo. Genus ergo Christi, & ipsius substantiam, & eius naturam proferre, ac pandere, nullus sermo sufficiet. Si quidem etiam diuinum de eo ita pronunciat oraculum, dicens: Generationẽ eius quis enarrabit? MAXIM. TAVRIN. hom. prima in Natalem Domini. Fratres, generatio Christi si narari non potest, credi potest: si lingua deficit, fides proficit: magnus enim profectus est fidei, cum tantum de Deo suo concipit, quantum sermo non potest parturire. FVLGENT. contra obiectiones Arianorum. Et nos credimus, propter quod loquimur, & fiducialiter profitemur, quia Filij generatio, inenarrabilis est, ignorabilis nõ est. Neq; enim consequens est, ut quod non potest enarrari, non possit sciri: cum ipsum Deum nullus ualeat enarrare: nec impune tamen alicui liceat ignorare.

IN IEREMIAM.

IN CAPVT. 1.

℣ Væ mihi mater mea, quare genuisti me?) CHRYSOST. de patientia Iob hom. quarta. Hæc omnia quasi mæsta quædam, tragœdijsq; simillima sancti exprimunt, ut tu postea discas non in delicijs egisse vitam, sed mala innumera tolerantes, in agone certasse. Fleuit ergo Ieremias dicens: Væ mihi &c. & patiebatur quidem veluti homo: sustinebat autem quasi Dei amicus.

℣ Si separaueris pretiosum à uili, quasi os meum eris) CHRYSOST. in Genes. hom. tertia. Et ut scias quantum bonum sit, cum salute nostra & alios lucrari, audi prophetam ex persona Dei dicentem: Qui educit preciosum à uili, quasi os meum erit. Quid hoc est? Qui ab errore ad ueritatem, ait, ma

nuduxerit, uel à peccato ad virtutem proximum induxerit, pro uirili huma no me imitatur.

IN CAPVT. 26.

Si forte audiant, et conuertantur) AMB. *Episcopus de pœnitentia libro secundo cap. quinto. Sed non ignorantia eo verbo exprimitur, sed in scripturis diuinis frequens huiusmodi consuetudo aduertitur; eo quod simplex sit locutio.*

IN LAMENTATIONES.
IN CAPVT. 3.

Bonum est uiro cum portauerit iugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius: & tacebit) AMB. *Episcopus in Psalmum. 118. Serm. 19. Qui enim à iuuentute iugum portauerit, & habenis maturi moderaminis teneriora uolens colla subdiderit; sedebit singulariter remotus à strepitu interpellantium passio num, & quietus silebit: cui necesse est iam non iurgari cum corpore; decerta re cum uarijs cupiditatibus: quia tulit iugum verbi anima quæ quærit Deum, quæ captiuas sibi fecit omnes delicias iuuentutis.*

Quia non repellet in sempiternum Dominus: quia si abiecit, & miserebitur secundum multitudinem miserationum suarum: non enim humiliauit ex corde suo; & abiecit filios hominum) IDEM *de Pœnitentia libro primo cap. quarto. Ex his, uel cæteris quæ sequuntur aduertimus quia ideo humiliat sub pedes suos omnes vinctos terræ, ut iudicium eius declinemus. Sed nec toto corde humiliat peccatorem usq; ad terram, qui etiam de terra suscipit inopem, & de stercore erigit pauperem. Non enim ex toto corde humiliat, qui se veniæ re seruat. Quod si non ex toto corde omnem humiliat peccatorem; quanto magis eum, qui non ex toto peccauit?*

IN BARVCH.
IN CAPVT. 3.

Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum: hic adinuenit omnem uiam disciplinæ: &c.) AMB. *de Fide libro secundo cap. quarto. Nam cum sine eruditione literarum doceat, non quasi homo, sed potius ut Deus videtur docere, qui doctrinam non didicerit, sed inuenerit. Adinuenit enim om nem viam disciplinæ, ut supra lectum est. Nam utique de Filio Dei dictum est. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum; qui adinuenit omnem*

viam d'sciplinæ.post hæc in terris uisus est: & cum hominibus conuersatus est. Quomodo ergo secundum Diuinitatem *doctrinam suam non habet, qui adinuenit omnem uiam disciplinæ, antequã uideretur in terris? aut quomodo minor, de quo dictum est, non æstimabitur alius ad eum?* Vtique *incomparabilis dicitur, ad quẽ nemo alius æstimari potest: sed ita incomparabilis dicitur, ut &* Patri *nequeat anteferri.* PROCLVS *in* Epist. *ad* Armenios. *Quomodo etiam propheticis attendemus oraculis, clamantibus, Quoniam* Deus *noster in terris visus, & cum hominibus conuersatus est?* Visionem *nanq; dicit propheta manifestationem, quæ in carne facta est: & conuersationem appellat viuẽdi rationem, qua temporaliter cum hominibus conuersatus est: in qua publice versatus ille qui minime inuidus est, omnipotentiam declarauit: quia vt omnipotens, & quod erat mansit per se ipsum; & quod voluit factus est propter nos.*

IN EZECHIELEM.
IN CAPVT. 20.

(Ergo *& ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non uiuent)* CHRYSOST. *in* Epist. *ad* Corinth. 1. *hom. septima.* Ab *Israelitis edidiscamus; qui cum sine labore uitam agerent, & quiete fruerẽtur, felicitatem suam non reputantes, in impietatem prolapsi sunt. Quid igitur* Deus *in posterum?* Leges *multas instituit, quibus eorum compesceretur licentia.* Et *ut plane intuearis ad nullam perfectam virtutem huiusmodi leges, sed pro freno quodam eis datas, quæ occupationis materiam præberent; audi quid de ijs propheta loquatur.* Dedi *eis præcepta nõ bona. Nõ bona, hoc est nihil magnũ ad uirtutem perficientia.* Idcirco *subdidit:* Iustificationes, *in quibus non viuent.* CYRILL. *contra* Iulianum *libro nono. Quoniam autem bonus est* Deus, *& sapientissimi* Moysi *preces honorabat, legitima quidem ipsis dabat rudimenta, verumtamen non bona, sicut ipse dicit, neq; valentia præstare vitam ipsa implentibus.* Non *bona autem legitima quomodo? Quantum ad veritatis inquam pulchritudinem.* Incomparabiliter *enim vtilior ænigmatibus veritas.* Siquidem *mentitum non est; quod ijs qui ex sanguine* Israel *nulla prorsus vtilitas erat, quod comedebant panes non fermentatos: at ijs qui improbitatis fermentum abiecerant, & ablutum habebant cor, & nihil pollutum, uel immundum diligebant, honorẽ eximium dedit* Deus, *ut participes fierẽt æternæ uitæ.* GREG. *in* Iob. *libro.* 28. *capite.* 17. *Mala enim quasi mala esse desinunt comparatione peiorum, & bona quasi bona non sunt comparatione meliorum.* Nam *sicut peius delinquenti* Iudææ *de* Sodoma, *atq;* Gomorra *dicitur:* Iustificasti *sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es, ita melioribus nos-*

ui testamenti præceptis subsequentibus, præcepta bona quæ rudibus data sunt non bona esse memorantur.

IN CAPVT. 34.

¶ *Et suscitabo super eas pastorem vnum, seruum meum David*) AMB. *Episcopus libro septimo Epist. 47. David vtique rex iam defunctus erat: & ideo verus David, verus humilis, verus mansuetus, verus manu fortis, Dei filius hoc annunciatur nomine.*

IN DANIELEM.

IN CAPVT. 7.

¶ *Et libri aperti sunt*) ARETHES. *in Apocal. cap.* 28. *Libellus hic apertus etiam à Daniele dictus est, quando iudicium apud ipsum sedet, et aperiuntur libri continentes omnium qui ab initio sæculi vixerunt acta, & nomina. Quod si apud Danielem libri sunt, hic autem libellum ostendit se videre, nihil in hoc dissonantiæ est. Siquidem apud Danielem libri sunt vniuersæ creaturæ, ostendentes cognitionem iustorum, & iniquorum, hic autem eorum dumtaxat qui in nefariis operibus vixerunt.*

IN CAPVT. 9.

¶ *Cumq; adhuc loquerer, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Israel*) CONCIL. MILEVIT. *Canon. septimo. Vnde etiam Daniel sanctus, & iustus, cum in oratione pluraliter diceret, peccauimus, iniquitatem fecimus, & cætera, quæ ibi veraciter, & humiliter confitetur, ne putaretur, quemadmodum quidam sentiunt, hæc non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis, postea dixit: Cum orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo nostro, noluit dicere peccata nostra, sed populi sui dixit, & sua: quia futuros istos, qui tam male intelligunt, tanquã propheta præuidit.*

¶ *Et erit in templo abominatio desolationis*) EGES. *de excidio Hierosolymitano libro quinto cap.* 32. *Sed mirum quod perituram non credis, cum legeris propheticos libros, quibus excidia patriæ nobis annunciata sunt, & reparata culmina rursus à Romano diruenda exercitu. Quid enim aliud clamat Daniel? Non enim quod iam factum erat, sed quod post futurum prophetabat. Quæ est abominatio desolationis, quam vociferatus est venientibus Romanis*

fore, nisi ista, quæ nunc imminet? Quod est illud oraculum, quod à nostris sæpe commemoratum est, à summo denunciatum Deo? Tunc scilicet periturum vrbem funditus, cum ciuium manibus contribulis suus fuerit extinctus, nisi quod nunc impleri uidemus? Et fortasse quia iam defendi templum non placet, interdicto maculatum sanguine purgari incendio placet. AVCTOR. *Vide quæ in Matthei cap. 24. notauimus.*

IN CAPVT. 10.

¶ Et ecce Michael, unus de principibus primis, venit in adiutorium meum) DION. *de Cælesti Hierarchia cap. nono. Cæterum ipsum quoq; populũ signans, æquali cum gentibus cæteris iure alicui sanctorum Angelorum fuisse assignatum, cuius officio, & ministerio vnum illud omnium principium noscere, Michaelem ait Iudæorum præfectum esse genti; apertis profecto indicijs comprobans vnam esse omnium prouidentiam; quæ omnibus inuisibilibus, visibilibusq; virtutibus longe ui summæ maiestatis emineat; omnes autem Angelos singulis præfectos nationibus, ad ipsam, veluti ad principium suum, eos, qui voluntarie sequerentur (quantum fas est) prouehere, atq; perducere.*

IN OSEE.
IN CAP. 6.

¶ Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos) AMB. *in Epist. 1. ad Cor. caput. 15. Omnia in fide clausa sunt: ideo in persona populi resurrectio Domini tertia die futura descripta est. Dicit enim Osee propheta: Post biduum, & in tertio die resurgemus, & uiuemus in cõspectu eius. In Christo enim omnes resurrexisse, sicut in Adam mortuos esse nemo fidelium denegat.* RVF. *in Symbolum Apostolorum. Osee autem propheta etiam de tertia die manifeste prænunciat hoc modo. Sanabit nos, inquit, post biduum: in die autem tertia resurgemus, & viuemus in conspectu eius. Hæc autem ex persona eorum dicit, qui cum ipso die tertia resurgentes, de morte reuocantur ad uitam: & ipsi sunt qui dicunt: Die tertia resurgemus, & viuemus in conspectu eius.*

IN CAP. 12.

¶ Et ego uisiones multiplicaui: & in manu prophetarum assimilatus sum) CHRYSOST. *in Genes hom. 32. Sapiens enim, & misericors Dominus noster, multas scit vias, quibus se humanæ attemperat naturæ, & semet ipsum bis*

sum his, qui se antea præparauerunt digne manifestat.idq; demonstrat per propbetam dicens : Ego uisiones multiplicaui : & in manibus prophetarum assimilatus sum . Quoniam & Esaias uidit eum sedentem : hoc autem Deo indignum: Deus enim non sedet . Aut quomodo cum sit incorporea, & locis incomprehẽsa natura ? Et Daniel *quoq; vidit eum ut antiquum dierum.* Zacharias *autem aliter eum contuitus est: Sed et* Ezechiel *aliter .vnde dicebat: Ego visiones multiplicaui: hoc est, unicuique apparui pro sua dignitate.* IDEM in Ioãnem *hom.* 14. Hoc *est permisi: non tamen id quod eram me ostendi.* Cum *enim eius filius vera carne accepta venturus esset in mundum, multo ante sanctos viros ad diuinæ substantiæ visionem exercuit,ita ut uidere poterant.* IDEM in Genes. *hom.* 58. Verum *tunc quidem,quoniam initium,& principia erãt, in figura vnicuiq; illorum apparebat: sicut ipse per alium prophetam dicit: Ego visiones multiplicaui &c.* Quando *autem dignatus est* Dominus *humanã formam suscipere, & primitias nostras recipere, non putatiuam , neq; apparentem tantum carnem , sed veram induit.*

IN CAPVT. 13.

¶ Ero *mors tua o mors: morsus tuus ero inferne.)* GREG. in Iob. *lib.* 12 *cap.* 8. *Quod enim occidimus,agimus ut penitus non sit : ex eo autem quod mordemus , partem abstrahimus, partemq; relinquimus .* Quia *ergo in electis suis funditus* Dominus *occidit mortem, mors mortis extitit:quia uero ex inferno partem abstulit, partemq; reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum .* Dicit *ergo :* Ero *mors tua o mors : id est in electis meis te funditus perimo:* Ero *morsus tuus inferne: quia sublatis eis, te ex parte transfigo.*

IN IOELEM.

IN CAP. 2.

¶ *Effundam de* Spiritu *meo super omnem carnem: & prophetabũt filij vestri, & filiæ vestræ)* DIDYMVS *de* Spiritu *sancto lib. primo. Effusio quippe* Spiritus *causa extitit prophetandi, & uidendi sensum pulchritudinemq; veritatis .* Ipsum *quoq; effusionis nomen increatam* Spiritus *sancti substantiam probat .* Neq; *enim* Deus *cum* Angelum *mittit,aut aliam creaturam, effundã dicit de* Angelo *meo, aut* Principatu *, aut* Throno,*aut* Dominatione . In *solis quippe his, quæ ab alijs participantur , hic sermo consentit , sicut & nunc paulo ante de* Charitate Dei *diximus, quæ effusa est in cordibus eorum, qui* Spiritum *sanctum acceperunt.* ISID. *lib. primo* Sententiarum *cap.* 17. Ante

aduentum Domini tantum prophetæ, & pauci ex omni populo Iusti donum Sancti spiritus merebantur; post aduentum autem Domini Spiritus sanctus cun ctis est credentibus distributus. Iuxta quod per prophetam loquitur Dominus dicens: Et erit in nouissimis diebus effundam de Spiritu meo super omnẽ carnem &c. Cunctis enim nunc gentibus gratia sancti Spiritus tradita est, neq; in paucis, aut in populo Israel, sed in omni credentium multitudine Spiritus sancti gratia manet.

ỿ Scindite corda vestra) CHRYSOST. hom. 4. ad populum Antiochenum. Quemadmodum igitur aratrum immittens deorsum, terram aperit tutam seminibus custodiam parans, ne iacta in superficie remaneant, sed in ipsos terræ sinus immittantur, & in tuto radices figant, sic & nos facere necessariũ, & tanquã aratro tribulatione vtentes, cordis profundum scindere. Hoc enim & alius propheta admonet dicens: Scindite corda uestra, & non uestimenta vestra. Corda gitur scindamus; ut si qua dolosa herba, & improba cogitatio nobis insit, radicitus eam uellamus; & puras pietatis seminibus terras exhibeamus.

ỿ Congregate paruulos, & sugentes vbera) IDEM Hom. tertia ad Populum Antiochenum. Qua de causa, dic mihi, immaturam ætatem ad supplicationem uocat? Non ne certum est quod propter eandem causam? Quoniã enim omnes uiri ætate perfecti exacerbauerunt Deum, & ad iracundiam concitauerunt; ætas, inquit, peccatorum expers irato supplicet.

IN AMOS.

IN CAP. 3.

ỿ Si erit malum, quod Dominus non fecerit?) ISID. 3. Sententiarũ cap. 61. Malignantium hominum voluntas nequaquã potest impleri, nisi Deus dederit potestatem. Nam dum homines Deo permittente malum, quod concupiscunt, perficiunt, ipse dicitur facere, qui permittit. Inde est quod scriptum est per prophetam: si erit malum quod Dominus non fecerit? Veruntamen quod iniqui mala expetunt uoluntate; iccirco Deus perficiendi dat potestatem per suam bonam uoluntatem; quia de nostro malo ipse multa bona operatur.

IN CAPVT. 8.

ỿ Occidet Sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis) CHRYSOST. hom. secunda ad populum Antiochenum. Hoc autem dicebat: non quod planeta absconderetur; neq; quod dies euanesceret, sed quod mærentes neq; in meridie propter doloris caliginem lucẽ cernere possint.

Suscitabo tabernaculum D*auid quod cecidit*) CHRYSOST. *in Ioan. hom.* 10. *Cecidit profecto natura nostra eo casu, ut restitui nullo pacto à quo quã nisi ab illa potentissima manu posset.* Neque enim *aliter exurgere poterat, nisi qui in principio eam effinxerat, manum porrexisset, & cœlitus aquæ, & Spiritus regenerationem informasset.*

IN ABDIAM.

Contemptibilis tu es valde, superbia cordis tui extulit te) RVP. *in Naũ prophetam cap. primo.* Superbia *nanq; inhonoratio est; quantũ quisq; Superbus, tantum est inhonoratus.* Vnde idem Dominus cum *dixisset ad* Edom, *Cõtẽptibilis tu es ualde, statim causam hãc subiũxit, superbia cordis tui extulit te.*

IN IONAM.
IN CAP. I.

Et *surrexit* Ionas, *ut fugeret in Tharsis à facie* Domini) AMB. *de fuga sæculi cap. quarto.* Audeo *dicere, sic fugit* Ionas *in Tharsis, non corporis fuga, sed mentis ascensione, qui usq; ad Christi ascendit similitudinem, ut fieret typus Christi.* Sicut *enim fuit* Ionas *in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Nam *si sic non fugisset, nunquã de uentre ceti esset auditus.* GREG. NAZ. *in Apologetico.* Et *ideo ille quidem fugiebat, ne uel tristis nuntij* Niniuitis *minister existeret, vel post modum mendax inueniretur, si per pœnitentiam ciuitas saluaretur.* Neque *enim saluti eorum inuidebat, sed mendacij ministerium declinabat, dignitatem propheticam in omnibus efferens, quam vtiq; in se velut deformari videbat, si infamaretur macula falsitatis: dum vulgus ignarum, & imperitum intelligere, ac percipere non posset profundam futuræ dispensationis scientiam.* ET *paulo post.* Non *ergo ignorabat* Ionas *adesse & in mari, et ubiq; præsto esse validissimam* Dei *manum, quam etiam alijs prædicaturus mittebatur, neq; effugere se usquã* Diuinitatis *potentiã præsumebat.* Non *hoc credendum est: sed quoniam præuidebat hoc suo ministerio à* Spiritu *præfigurari, quod spreto, & abiecto populo suo* Israel, *donum propheticæ gratiæ transferretur ad gentes, propterea subterfugit prædicationis officiũ, ne patriæ gentis abijciendæ triste præberet obsequium.* GREG. *in Iob. libro sexto cap.* 13. *Sed quia nonnunquã astute se aliquid sapere etiam electi*

moliuntur: libet ad medium alium sapientem deducere, & quomodo in internis consilijs astutia mortalium comprehendatur, demonstrare. Prudenter quippe Ionas sapere voluit, cum ad prædicandum Niniuitarum pœnitentiam missus, quia electis gentibus Iudæam deseri timuit, prædicationis officium implere recusauit.

IN MICHEAM.
IN CAPVT. 6.

Popule meus quid feci tibi? &c.) AMB. in Apologia Dauid Cap. 10. *Singula in conspectu tuo locat beneficia sua, ut tanquã de his iudices, quæ seruare debueras: quo magis reus fias, qui diuinis non potueris stare beneficijs. Quid feci, inquit, tibi? Tanquã reum se constituit, & te iudicem. Aut quid contristaui te? Offensi vultus non abnuit crimen, si tu Deo es contristatus auctore. Aut quid molestus fui tibi? Interpellationis iniuriam confitetur, si molestior æstimata est. Addidit beneficia, quorum gratiam non erubuit, qui existebat ingratus.*

IN NAVM.
IN CAP. 1.

Non consurget duplex tribulatio) CANON Apostolorum. 25. *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut periurio, aut furto captus est, deponatur, non tamen communione priuetur. Dicit enim Scriptura: Non uindicabit Dominus bis in id ipsum.*

IN HABACVC.
IN CAP. 2.

Iustus autem ex fide viuit) AMB. in Epist. ad Rom. cap. primo. *Propterea ad exemplum prophetæ Habacuc se conuertit, ut declaret olim ostensum iustum ex fide, non ex lege viuere: hoc est non iustificari hominem apud Deum per legem, sed per Fidem. Vita enim ex Fide non hæc præsens est, sed futura: quia iustus ex Fide viuit; sed apud Deum.*

IN CAPVT. 3.

Ficus enim non florebit, non erit germen in vineis &c.) CYP. contra *Demetrianum. Dei hominem, & cultorem Dei subnixum spei ueritate,*

& fidei stabilitate fundatum negat mundi huius, & sæculi infestationibus commoueri. Vinea licet fallat, & Olea decipiat, & herbis siccitate morientibus æstuans campus arescat, quid hoc ad Christianos? quid ad Dei seruos? quos paradisus inuitat, quos gratia omnes, & copia regni cælestis expectat. Exultant semper in Domino, & lætantur, & gaudent in Deo suo: & mala, atq; aduersa mūdi fortiter tolerāt, dum bona, et prospera futura prospectāt.

IN SOPHONIAM.

IN CAP. 2.

Adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium) CHRYSOST. aduersus Iudæos hom. secunda. Audi igitur & alium prophetam hoc idem prædicentem, quod Dei cultus non circunscribendus esset loco, sed ipsum omnes deinceps homines essent laudaturi. Sophonias ad hunc ferme modum loquitur. Illucescet Dominus super omnes gentes, & abolebit omnes deos gentium, & adorabunt illum è suo quisque loco. Atqui non dixit hoc Moses: sed uno in loco sacrificari iussit. Cum igitur audias prophetas hoc dicentes, ac vaticinantes, quod non in vnam ciuitatem, neq; in vnum locum compellendi sint homines, sed suæ quisq; domi sedēs culturus Deū, quod aliud possis afferre tēpus, q̄ hoc præsens?

IN AGGAEVM.

IN CAP. 2.

Adhuc vnum modicum est; & ego commouebo cælum, & terram &c. (CHRYSOST. in Epist. ad Heb. hom. 32. Quid est quod his verbis significatur? nimirum quod auferentur cuncta de medio, & in melius vniuersa mutabuntur. hoc enim mihi in hoc loco significari uidetur.

Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum.) CHRYSOST. in Epist. ad Corinth. 1. hom. 34. Aggæus igitur cum assidue Iudæis denunciasset, post illum ex Babylone reditum eadē forma templū exhibiturū quale nuper fuit, et pleriq; quod post cineres, et ruinā illā instaurari tēplū impossibile videretur, fidē verbis non haberent, discussurus dubitationem istā propheta, ex persona Dei in ista verba prorupit. Quasi dicat: Quid timetis? quid dubitatis? Meum est argentum, meum aurum, non habeo necesse aliunde mutuatis ornare templum.

IN ZACHARIAM.

IN CAP. 4.

Isti sunt duo filij Olei, qui assistunt dominatori vniuersæ terræ) VI-

CTOR. MARTYR *in Apocal.* Hos duos (*scilicet* Enoc,& Heliā) *candelabra duo, & duas oliuas ideo nominaui, vt si in alio legens non intelle xisti, hic intelligas*. In Zacharia *enim vno ex duodecim prophetis scriptū est: Hi sunt duæ oliuæ & duo candelabra qui in conspectu* Domini *terræ stant: id est, sunt in paradiso.*

IN MALACHIAM.
IN CAP. 4.

Ecce ego mittam vobis Eliam *prophetam, antequam veniat dies* Domini *ma gnus, & horribilis: & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*) IVLIAN. *contra* Iudæos *libro primo*. *Ante enim aduē tum iudicij mittet* Dominus Eliam *ad conuertendum cor filiorū ad cor* Patriar *charum, & prophetarum, vt credat posteritas eorum in* Domino Iesu Christo, *quem* Patriarchæ, & Prophetæ *vaticinantes expectauerunt*. EVTHYM. *in* Matth. *cap.* 34. *Hoc est qui conuertat corda* Iudæorum, *qui tunc superfue rint ad* Apostolos, *ut obediant doctrinis eorum, credantq; Christo.* Patres *enim* Apostolorum *erant* Iudæi. AVGVST. *de* Ciuitate Dei *lib.* 20. *cap.* 29. *Et est sensus*. Vt *etiam filij sic intelligant legem, id est* Iudæi, *quemadmodum patres eam intellexerunt, id est,* Prophetæ, *in quibus erat & ipse* Moyses. *Sic enim cor patrum conuertetur ad filios, cum intelligentia patrum perducetur ad intelligentiam filiorum, & cor filiorum ad patres eorum, dum in id, quod sen serunt illi, consentient & isti.*

IN PRIMVM MACCABAEORVM.
IN CAPVT. 1.

Et fecerunt sibi præputia) HIER. *in* Esaiam. *cap.* 52. *Et beatus* Apostolus *de virginitate, & continentia, ac nuptijs disputans, iecit in medio:* Circumcisus *aliquis uocatus est, non adducat præputium: in præputio uocatus, non circuncidatur.* Quod *mihi uidetur alijs uerbis dicere:* Absq; *uxore vocatus est, & credidit, non ducat uxorem.* Vel *è contrario, habens vxorem in* Chri stum *credidit, nequaquā diuortium faciat*. Quem *non solum in circuncisione, & in præputio, sed in libertate, ac seruitute custodit: ut liberos uocet uirgines & continentes: seruos, qui vxori debitum reddant*. Neq; *enim potestatis no stræ est præputium adducere post circuncisionem: iuxta eos qui in* Maccabæo *rum libro dicuntur sibi fecisse præputia: quod de nascentibus filijs, & nō de parentibus dicitur.* EPIPH. *de mensuris, & ponderibus.* Qui *enim à* Iu-

dæis ad Samaritas profugiunt, rursus circunciduntur: similiter & qui à Samaritis ad Iudæos transfugiunt. Ad hoc ad huc grauius est, quod etiam à circuncisione præputiati fiunt arte quadam medica per instrumentum attractorium Spathisterem appellatum, infernam membrorum cuticulam attrahi sinentes, suturamq; admittentes, & glutinatorijs circundatis præputium rursus superinducunt. Habes & testimonium apud sanctum Apostolum, vbi hæc verba hoc modo dicit. Circuncisus aliquis vocatus est, non attrahatur ipsi præputium &c. Hanc autem traditionem inuenti Esau fratrem Iacob reperisse aiunt ad abnegationem Dei, & ad deletionem Characteris patrum ipsius. Quapropter aiunt Deum dixisse: Odio habui ipsum Esau, Iacob vero dilexi. AVCTOR. *Cum Epiphanio facit Cornelius Celsus libro septimo cap. 25.*

IN SECVNDVM MACCABAEORVM.
IN CAPVT. 12.

Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro peccatis exorare, ut à peccatis soluantur.) EVGEN. *Pont. in Decreto cuius initium est. Consentiente. Item si uere pœnitentes in Dei charitate decesserint antequã dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis, eorum animas pœnis purgatorijs post mortem purgari: & ut à pœnis huiusmodi releuentur, prodesse eis fideliũ virorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, ac alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus fieri consueuerunt secundum Ecclesiæ instituta.*

IN NOVVM TESTAMENTVM IN MATTHAEVM.

IN CAP. I.

OMNES itaq; generationes ab Abraham usq; ad Dauid generationes quatuordecim &c.) EPIPH. de Epicureis hæresi octaua. Iosias genuit Iechoniam, qui & Selum appellabatur, itē q; Amasias dicebatur. Hic uero Iechonias genuit Iachoniam appellatum Sedechiam, & Ioacim. Et nemo de hoc ambigat, immo potius miretur exactam rationem hoc loco utiliter studiosis expositam, qui Christianæ doctrinæ gratia sincera exemplaria contingere uolūt. Qui sane statim cum utilitate beneuoli esse cogentur, ubi lucrati fuerint dictum hoc, quod à quibusdam indoctis rerum euangelicarum ad ambiguitatem, uelut emendandi gratia, deletum est. Nam cum sanctus Matthæus trifariam enumeret generationes, & ab Abraham usq; ad Dauid recenseat quattuordecim generationes, duo priores numeri clari reperiuntur, nullum defectum habentes: ad Iechoniam enim tempora continent. Verum tertius numerus non item quatuordecim generationum reperitur, ut iuxta successionem nominum complemētum habent, sed decem & trium. Nam aliqui Iechoniam cum altero Iechonia reperientes, numerum duplicatum esse putauerunt. Non erat autem duplicatio, sed numerus clarus. Ex nomine enim patris filius nominatus fuit Iechonias Iechoniæ. IVLIAN. contra Iudæos libro tertio. Quod fortasse nequaquam Euangelista in distinguendis ætatibus obseruaret, scilicet ut non eas annorum numeris, sed generationibus proderet, si non hoc ipsum etiam obseruatū in lege uetri pro distinguendis ætatibus præuidisset. Iuxta hunc enim modum duas illas ætates, unam ante diluuium, secundam post diluuium inuenimus in libro Genesis terminatas. ET infra. Aetates vero sæculi quas prædiximus quinq; usq; ad Christum fuisse, non secundum Lucam, qui Sacerdotale genus exequitur, sed iuxta Matthæum, qui regias generationes digerit, computandæ sunt. Etenim Christi filij Dei carnem sic ex utroq; genere credimus propagatam, ut & regio semine floreat, & Sacerdotali propagine sit gloriosa. Iuxta semen ergo regium, quod Matthæus exequitur, adiectis illis duabus ætatibus, id est quæ ab Adam, usq; ad Abraham denis generationibus currunt, quinq; ætates sæculi computandæ sunt.

Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum) PROCLVS Epistola ad Armenios de Fide. Iccirco Gabriel cum euangelizaret nascentis auctoritatem, atq; potentiam, clamabat ad Mariam. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Populus autem non potest hominis esse, sed Dei,

nec mundum à peccatis erueret, qui hanc uitam cum corruptione intraret, & inculpabile natiuitatis exordium non haberet: sed qui necessario Deus, *simul & homo esset, non diuisus in duo, sed permanens unus: Per id quod ex muliere nascitur, hominem se demonstrans; per id autem quod matrem seruat virginem,* Deum *se esse testificans.*

IN CAPVT. 2.

ꝩ Vidimus *Stellam eius in Oriente*) IGNAT. *Epist.* 14. *Stella in cœlo fulsit super omnes, quæ ante ipsam erant: & lux eius inæstimabilis, & noua, atq; peregrina apparuit videntibus eam. Cætera vero sidera simul cum* Sole, & Luna *corusca facta sunt illi stellæ: illa vero superabat omnes splendore suo. Et facta est perturbatio vnde fuisset illa nouitas, quæ apparuerat.* DAMASC. *libro secundo de Fide cap. septimo. Cum autem in miseratrice, & salutari* Domini *natiuitate secundum carnem propter nos à* Magis *stella visa est; non ex ijs fuit astris, quæ inprincipio facta fuerunt. quod & ex hoc perspicuum est; quod aliquando quidem ex oriente in occasum peragebat cursum, aliquando uero ex* Borea *in* Austrum: *& quandoq; occultabatur; quandoq; manifestabatur. hoc enim ordinationis, & naturæ astrorũ non est. &c.*

ꝩ Obtulerunt *ei munera, aurum, thus, & myrrham)* IREN. *libro tertio cap. decimo. Myrrha quidem, quod ipse erat qui pro mortali humano genere moreretur, & sepeliretur:* Aurum *uero, quoniam* Rex *cuius regni finis nõ est:* Thus *uero, quoniam* Deus, *qui & notus in* Iudæa *factus est, & manifestus eis, qui non quærebant eum.* PET. *Alex. Can.* 13. *Obtulerunt ei conuenientissima, & decentissima donaria, aurum, thus, & myrrham: tanquam* Regi, & Deo, & Homini. IVVENC. *lib. primo.*

Ecce viæ medio stellam præcurrere cernunt
Sulcantem flammis auras: quæ in culmine summo
Restitit: & pueri lustrata habitacula monstrat.
Gaudia magna Magi gaudent: sidusq; salutant.
At postquã puerum videre sub vbere matris,
Deiecti prono texerunt corpore terram:
Summisiq; simul mox mystica munera promunt:
Thus, aurum, myrrham, regiq;, hominiq;, Deoq;
Dona ferunt. SEDVL. *lib.* 1.
Ecce alacres summo seruantes lumina cœlo
Fixa Magi, sidusq; micans regale secuti,

Optatam tenuere viam: quæ lege futura
Duxit adorantes sacra ad cunabula gentes:
Thesaurisq; sinul pro religione solutis,
(Ipsæ etiam ut possent species ostendere Christum)
Aurea nascenti fuderunt munera regi:
Thura dedere Deo: *myrrham tribuere Sepulchro.*

Et mittens occidit omnes pueros &c.) PET. ALEX. Can. 13. *Cum quibus, & altero puello, qui ante illum genitus erat, quæsito ad mortem, & non inuento, patrem eius Zachariam occidit inter templum, & altare; cum effugisset puer cum matre Elisabet; in quo nihil, quod reprehensione dignum esset, inuentum est.*

IN CAPUT. 3.

Esca autem eius erant locustæ, & mel Syluestre) SVID. *in uerbo* ἀκρὶς Comedebat autem præcursor Locustas, & mel syluestre: quod ex arboribus collectum, Manna apud multos nominatur.

Ego à te dabeo baptizari; & tu venis ad me? Respondens autem Iesus dixit ei; sine modo: sic enim decet nos implere omnem iustitiam) PANTOL. Sermone in sacrum Christi Baptisma. *Et si, inquit Ioannes, hos lateas, mihi tamē factus es cognitus: noui tuam ò Domine dissimulationem: cognosco eum qui intra absconditus est: quoniam tuam cognoui Maiestatem, dum adhuc in vtero matris gestarer. Magnum mihi foret uel soluere corrigiam calceamentorū tuorum, & tu mandas, ut dexteram meam capite tuo admoueam.* MAX. TAVR. *hom. septima. Id est quoniam ego creatura sum, tu creator: ego seruus, tu Dominus: ego figura, tu ueritas. At Iesus ait: sine modo: sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Id est, Quid nunc ista commemoras? Propositum susceptæ humilitatis implendum est.*

Ecce aperti sunt cœli, & uidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam &c.) CYP. *de simplicitate prælatorum. Iccirco & in columba venit Spiritus sanctus, simplex animal, et lætum, non felle amarum, non morsibus sæuū, non vnguium laceratione uiolentum, hospitia humana diligere, vnius domus cōsortium nosse, cum generant, simul filios ædere; cum commeant, uolatibus inuicem cohærere, communi conuersatione vitam suam degere; oris osculo concordiā pacis agnoscere, legē circa omnia vnanimitatis implere. &c.* MAX. TAVR. *hom. septima. Aperti sunt cæli. Aestimout in cælestibus esset miraculum de his, quæ gerebantur in terra: sicut ait scriptura: In quem deside*

rant Angeli prospicere. Quomodo enim non poterant non mirari uirtutes cælorum, & Dominationes, Cherubim, & Seraphim cum viderent Dominum Sabbaoth in fluuio ab homine baptizari?

IN CAP. 4.

Vade post me Satana) IGNAT. *Epist. octaua. Non dixit: Reuertere post me: non enim es reuersurus aliquando: sed; Vade, inquit, satana in ea quæ tibi elegisti loca, vade in ea, quibus prouocatus es à tua malitia.*

Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies) CON. NIC. 2. *Actione. 4. Sancti Anastasii Episcopi Theopoleos Epistola, per quam respondet cuidã ad dubitationem quandam, à qua expediri cupiebat. Eius autem principium tale. Si doctrina existimaretur ex uariis opinionibus. Et paulo post. Nemo autem offendatur in adorationis vocabulo. Si quidem & homines, et sanctos angelos adoramus: non autem quod λατρείαν, hoc est, cultum diuinũ exhibeamus. Inquit enim Moyses: Deum tuum adorabis: & illi Soli λατρείαν præstabis. Quo loco diligẽter obseruabis, qua ratione posteriori dicto, nimirum latriæ, adiecerit, soli; adorabis uero, hoc ipsum non est appositum. Quam obrem adorare licet. Quid enim aliud est, quã honoris alicui exhibiti uelut emphasis, adoratio? Latria uero nequaquã; neque etiam licebit προσκύνεσθαι, quod est proprie, Deum adorare. Hæc quispiam ad primum dicere posset: secundũ vero multorum opinionibus subuertetur, qui experientiam lectionis sacræ nõ satis perceperit.*

IN CAPVT. 5.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt) MAXIM. CONST. *de Charitate Cent. quarta. Tunc autem videbunt, atq; etiam in eo ipso thesauros, cum per charitatem, & temperantiam semet ipsos mundauerint: atq; hoc impensius, quanto ipsi se diligentius mundauerint.*

Beati pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur) CYP. *de Simplicitate prælatorum. Pacificos esse oportet Dei filios, corde mites, sermone simplices, affectione concordes, fideliter sibi vnanimitatis nexibus cohærentes.*

Beati pauperes spiritu &c.) MAXIM. CONST. *de Charitate Cent. 3. Non parum multos habet mundus pauperes Spiritu, sed præter quã congruum est: & multos lugentes, sed propter rerum iacturam, & liberorũ amissionem: & multos mites, sed erga impuras affectiones: & multos esurientes, & sitientes, sed alienorum bonorum direptionem, et lucrum ex iniustitia prouenient: & multos misericordes, sed erga corpus, & ea, quæ sunt corporis*

& puros corde, sed propter inanem gloriam: & pacificos, sed animam corpori subijcientes: & multos qui insectationem patiuntur, sed rebelles, & inordinatos: et multos qui probris petuntur, sed propter turpia flagitia. Verũ enim uero illi soli beati; qui propter Christum, & secundum Christum hæc faciunt, & patiuntur. Quamobrem? Quoniam ipsorum est regnum cælorum: & ipsi videbunt Deum, & reliqua.

¶ Dico autem uobis: nisi abundauerit iustitia vestra plusquã scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum) CHRYSOST. in Ps. 7. Quemadmodum enim non est equalis is qui se in lege recte gerit, ei qui in ijsdẽ se recte gessit ante legem, ita nec qui in gratia, ei qui sub lege; sed etiam ex tẽpore magna fit differentia. Hoc ostendens Paulus & in uitio, & in virtute, vide quomodo illos quoq; magis admiratur, et hos maiori supplicio dignos esse pronunciat, ita dicens. Quando enim gentes, quæ legẽ nõ habent, natura quæ sunt legis faciunt, ij legem non habentes, sunt sibi ipsis lex. Vides quomodo eos, qui sine lege se recte gerunt, laudat, & prædicat? Vide rursus quo modo eos etiam qui peccant in gratia, ostendit esse dignos maiori supplicio, ijs qui peccant in lege, sic dicens: Qui irritam fecerit legem Moysis sine misericordia sub duobus uel tribus testibus moritur. Quãto putatis deteriori supplicio dignus habebitur, qui filiũ Dei conculcauit, & sanguinẽ testamenti communẽ existimauit?

¶ Si oculus tuus dexter scãdalizat te, erue eũ, & c.) CLEMENS MARTYR. recognitionum lib. 7. Non dixit: Scandalizauit te, ut posteaq; peccaueris, tũc abijcias causam peccati, sed, si scandalizat te, hoc est, ut antequã peccas, causam peccati prouocãtis te, & iritantis abscindas. Nequis autem vestrũ putet, fratres, quod membrorum amputationem mandauerit Dominus; proposi tũ in hoc uult resecari, nõ mẽbra, et causas, quæ ad peccandũ illiciunt: quo cogitatio nostra aspectus uehiculo subiecta, ad amorem Dei sensibus corporeis inuisa contendat.

¶ Omnis qui dimiserit vxorem suam excepta causa fornicationis, facit eam mœchari.) HERMAS in libro qui inscribitur Pastor, Mandato quarto. Et dixi illi: Domine, si quis habuerit uxorem fidelem in Domino, & hanc inuenerit in adulterio, nunquid peccat uir, si conuiuit cum illa? Et dixit mihi: Quandiu nescit peccatum eius, sine crimine est vir uiuens cum illa: si autem scierit uir vxorem suam deliquisse, & non egit pænitentiam mulier, & permanet in fornicatione sua, & conuiuit cum ea uir, reus erit peccati eius, & particeps mœchationis illius. Et dixit illi. Quid ergo si permanserit in vitio suo mulier? Et dixit. Dimittat illam uir: & uir per se maneat: quia si dimiserit mulierem suam, & aliam duxerit, ipse mœchatur. Et dixi illi, Quid si mulier dimissa pœnitentiam egerit, et voluerit ad

uirum suum reuerti? non ne recipietur à uiro suo? Et dixit mihi. Immo si non receperit eam uir suus peccat, & magnum peccatum sibi admittit. Sed debet recipere peccatricem, quæ pœnitentiam egit, & non sæpe. BRVC. decretorum lib. 19. Nulli licet vxorem suam dimittere, nisi causa fornicationis; id est si ipsa adulterium cum alio perpetrauerit, tunc licet illam dimittere propter fornicationem, sed illa viuente aliam non ducere. CONC. TRIB. cap. 46. de vxore constuprata. Maritus vero quandiu ipsa uiuit nullo modo alteram ducat. CONC. FLOR. in extrauaganti Eugenij cuius initiū est: Exultate Deo. Quamuis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non inde tamen aliud matrimonium contrahere fas est: cum matrimonij vinculum legitime contracti, perpetuum sit. CONC. MIL. Can. 17. Placuit ut secundum Euangelicam, & Apostolicam disciplinam neq; dimissus ab vxore, neq; dimissa à marito, alteri coniungantur: sed ita maneant, aut sibi reconcilietur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur.

γ Ego autem dico vobis non iurare omnino) AMB. in Psalmum. 118. Serm. 14. Nemo bene iurat, nisi qui potest scire quod iurat. Iurare igitur, indicium scientiæ, testimonium conscientiæ est. Et bene iurat, qui ad lucernam verbi pedes suos dirigit, qui lucem in semitis suis cernit. Lux tibi præeat, si iurare disponis; id est, cognitio veritatis præcedat, ut vinculum sacramenti tibi nō possit nocere. Vbi religio sanctior, ibi fides veritatis est plenior. Deniq; ideo Dominus, qui uenit docere paruulos, imbuere nouos, firmare perfectos, ait in Euangelio, Non iurandum omnino, quia infirmis loquebatur. Deniq; non ad solos Apostolos loquebatur, sed ad turbas. Voluit enim te non iurare, ne peiures. Et addidit: Non iurare neq; per cœlum, neq; per terram, neq; per Hierosolymam, neq; per caput tuum: per hæc videlicet quæ subiecta non sunt tuæ potestati. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. Iuret ergo ille, quem sacramenti sui pœnitere non poterit. ISID. Sent. libro secundo cap. 31. Sicut mentiri non potest qui non loquitur, sic periurare non poterit, qui iurare non appetit. Cauenda igitur est iuratio, nec ea vtendum nisi in sola necessitate. Non est contra Dei præceptum iurare; sed dum vsum iurandi facimus, periurij crimen incurrimus. Nunquā ergo iuret, qui periurare timet. CORN. Pont. Epist. secunda. Quæ nos sanctorum sequentes Apostolorum, eorumq; successorum iura firmamus; et sacramēta incauta fieri prohibemus. CONC. ILERDENSE. cap. 3. Quod ita à nobis, & à maioribus constitutum esse docetur, si siue secundum canones, siue ad arbitrium Episcopi sibi collegas septem adiungat; & iuret in sacro coram posito Euangelio, quod eum sancta Trinitas, & Christus filius Dei, qui illud fecit, & docuit, quod Euangelium continet, & sancti quatuor Euangelistæ, qui illud scripserunt, sic adiu-

nent;quod ille prænominatam actionem ita non perpetrarit,sicut ei de illo oblatum est. Et in hac satisfactione purgatus, secure deinceps suum exerceat ministerium. Quã satisfactionem non nulli præcedentium patrum. S. Leonem Papam in Basilica S. Petri Apostoli corã Reuerend. Cæsare Carolo, ac Clero & plebe ita fecisse commemorant: atq; ita mox venerandum Principem contra eiusdem sancti Papæ aduersarios dignæ vltionis vindictam exercuisse.

¶ Ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in unã maxillam, præbe ei & alteram &c.) MAXIM. CONST. De Charitate Cent. prima. Quorsum hæc præcepit nobis? ut te ab omni iracundia, & perturbatione uacuum conseruaret, alienumq; à tristitia: & illum per tuã malorum tolerantiam erudiret: & sic vtrosq; ueluti bonus pater sub Charitatis iugum adduceret. AMB. in Psalmum. 118. Dominus Iesus docens virtutem,atq; insigne patientiæ, ait: Qui te percusserit &c. Vult enim discipulos & iniuriarum esse patientes, nec referire facile: ne dum ferire potens iniuriam faceret, indicium humilitatis non exhiberent. Patientia enim humilitatis indiciũ est. IDEM in Lucam cap. 10. Imitatores mei estote: ultionis studia deponite: insolentiam verberantium non iniuriæ relatione, sed magnanimitate tolerantiæ supportate. Nemo in se debet, quod in alio reprehendit, imitari. Grauiora contumacibus mansuetudo uulnera refert. Hoc pugno repercussit Dominus verberantem dicendo: Qui te percussit in unam maxillam &c. Fit enim ut iudicio suo ipse se damnet; & quodã stimulo sui compungatur affectus, qui relatam sibi sedulitatem pro iniuria quam fecit, aduerterit.

IN CAP. 6,

¶ Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua) AMB. de Officijs libro primo cap. 30. Vides q; moralem iudicem habeas? Te consulit quo modo opus tuum suscipiat: mentem tuam prius interrogat. Nesciat, inquit, sinistra tua quid faciat dextera tua. Non de corpore loquitur, sed etiã vnanimus tuus, frater tuus quod facis nesciat: ne dum hic mercedem quæris iactantiæ, illic remunerationis fructum amittas. Perfecta autem est liberalitas, ubi silentio quis tegit opus suũ; & necessitatibus singulorum occulte subuenit: quem laudat os pauperis, & nõ labia sua. LAVRENT. hom. de Eleemosyna. Tale est quod dicit. Quãdo bonum aliquod conatur facere dextra, id est anima, non illam impediat sinistra quæ est caro: sed tanquã dormiente sinistra, festinet dextera furtiuo more operari bonũ; & expellere malum de membris, quod dicitur sinistrum.

¶ Pater noster qui es in cœlis &c.) AMB. de Sacramentis lib. sexto cap. quinto. Laus Dei quod Pater prædicatur in eo pietatis gloria. Laus Dei, quia

in cælis habitat, & in terris. Pater sanctificetur nomen tuum, id est, ut sanctifi cet seruos suos. Nomen enim illius sanctificatur in nobis, quando prædicantur homines Christiani. Ergo optantis est, Sanctificetur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Postulatio ut in nobis sit regnum Christi. si Deus in nobis regnat, locum habere aduersarius non potest. Culpa non regnat, peccatum nō regnat sed regnat virtus, regnat pudicitia regnat, deuotio. MARTIAL. *Epist. ad Tolosanos. Patrem omnium Deum in cælis regnantem semper inuocate, ut ueniat eius regnum deprecantes: fiatq; eius volūtas in nobis sicut in Angelis cœlorū* IOAN. CLIMACHVS. *gradu 24. Malus est diabolo et fami lia ritate cōiunctus, & nomine. Quocirca & Dominus ita illum appellandū mo nuit in oratione, quam ipse instituit; dicens: libera nos à malo.*

¶ *Respicite volatilia cæli &c.)* AMB. *Hexameron lib. tertio cap. septimo. In quo primum profundum Dei consilium debemus aduertere, quod etiam mi nima quæq; non negligat, sicut in Euangelio Sapientia Dei dicit: Respicite uolatilia cæli &c.) Cum enim illa pascuntur Dei gratia, nemo sibi debet de sua industria, & uirtute blandiri.*

IN CAPVT. 7.

¶ *Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condēnare, & non condēnabi mini)* AMB. ANSB. *in Apocal. libro secundo. Ac si diceret. Si non alio modo subiectos peccantes iudicaueritis, nisi quo prius uosmet ipsos similiter delinquentes iudicatis, nec alio modo illos labentes condēnaueritis, nisi quo vos ipsos si labi contingat, condemnatis, à me futuro examinis die nec iudicabimini, nec condemnabimini.*

¶ *Petite, & accipietis &c.)* EVS. EMES. *hom. 3. ad Monachos. Petamus orando: quæramus laborando: pulsemus desiderando: pulsemus proficiē do: pulsemus perseuerando, & in spe cælestium promissorum tanto incitemur studio, tantoq; inardescamus affectu, ut cum præmiorum dignitate desideriorū magnitudo concordet.*

¶ *Quanto magis pater uester qui in cælis est dabit bona petentibus se?)* AMB. *de Spiritu sancto lib. primo cap. quinto. Secundum Lucam autem inuenies ita scriptum. Quanto magis pater vester de cælo dabit Spiritum bonum petentibus se? Aduertimus ergo bonum esse Spiritum sanctum Domini iudicio, Euangelistarum testimonio, quando alius pro sancto Spiritu bona, alius pro bonis sanctum Spiritum nominauit.* DID. *de Spiritu sancto libro primo. Porro Spiritus sanctus confessione omnium immutabilis est sanctificator, scientiæ diui næ, & vniuersorum attributor bonorum, et, ut breuius dicam, ipse subsistens in*

his bonis

his bonis quæ à Domino largiuntur. Nam eundem Euangelij locum Matthæus, Lucasq; describens, alter ex his ait: Quanto magis pater vester cælestis dabit bona petentibus se? Alter uero: Quanto magis pater uester cælestis dabit Spiritum suum sanctum petentibus se? Ex quibus apparet Spiritum sanctum plenitudinem esse donorum Dei; & ea quæ diuinitus administrantur, non absq; eo subsistere. Quia omnes vtilitates, quæ ex donorum Dei gratia suscipiuntur, ex isto fonte demanant.

¶ Quam angusta porta & arcta uia est, quæ ducit ad uitam: & pauci sunt qui inueniunt eam) GREG. NAZ. de Theologia libro primo. Atrursus, cum audis viam, quæ ad cœlum perducit, vnam esse, & eam quidem per angustam, quid putas hic sibi vult sermo? Vnam sane esse, si virtutem spectes, hæc enim vnica est, quantumuis in multas partes secetur. Verum angustam, propterea quod sudoris plane multum exhibet viatoribus; quodq; non adeo multis est trita, præsertim si cõuertas oculos ad multitudinem eorum, qui itinere ad uerso per spatiosissimum vitiorum campum ad inferos corruũt. MAXIM. CONST. de Charitate Cent. secunda. Quod si animum induxeris inuenire viam ducentem ad vitam, eandem in uia quæras necesse est; & ibi inuenies: in ea scilicet, quæ dixit Ego sum via, & ianua, & ueritas, & vita. Verũ tamẽ ualde laboriose hæc tibi inquirenda, & indaganda est: Pauci enim sunt, qui illam inueniunt. Est itaq; omnibus modis tibi cauendum, ne à paucis illis destitutus, cum multis uiatoribus inueniaris.

IN CAP. 8.

¶ Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores) CYP. de Oratione Dominica. Continua autẽ oratione, et prece opus est, ne excidamus à regno cælesti: sicut Iudæi, quibus hoc promissum prius fuerat, exciderunt, Domino manifestante, & probante; Multi, inquit, venient ab oriente &c. Ostendit quia ante filij regni Iudæi erant, quando & filij Dei esse perseuerabant. Postquã cessauit circa illos nomen paternum, cessauit & regnũ.

¶ Dimitte mortuos sepelire mortuos suos) AMB. de Fide Resurrectionis. Secundũ scripturas autẽ triplicem esse mortem accipimus. Vna est cũ morimur peccato: Deo viuimus. Beata igitur mors, quæ culpæ refuga, Domino dedita, à mortali nos separat; immortali nos consecrat. Alia mors, est vitæ excessus: qua mortuus est Patriarcha Abraham, patriarcha Dauid, & sepulti sunt cum patribus suis, cum anima nexu corporis liberatur. Tertia mors est de qua dictum est. Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Ea morte non solum caro, sed etiam anima moritur. Anima enim, quæ peccat, ipsa morietur. Moritur

enim Domino non naturæ infirmitate, sed culpæ. Sed hæc mors non perfunctio huius est vitæ, sed lapsus erroris. Vna ergo est mors spiritalis, alia naturalis, tertia pœnalis. Sed non quæ naturalis, eadem pœnalis: non enim pro pœna, sed pro remedio dedit mortem.

IN CAPVT. 10.

¶ *In viam gentium ne abieritis)* CYP. *libro primo* Epist. *sexta* Satia: *ad huc in* Euangelio *suo* Dominus, *& maiorem intelligentiæ lucem manifestat, quod ijdem qui se nunc à tribu* Iuda, *&* Beniamin *sciderant, &* Hierosolymis *derelictis* Samariam *secesserant, inter profanos, & gentiles computarentur. Nam cum primum discipulos suos in ministerium salutis mitteret, mandauit, & dixit:* In viam nationum ne ieritis, *& in ciuitatem* Samaritanorom *ne introieritis.* Ad *Iudæos primum mittens, gentiles adhuc præteriri iubet. Addendo autem & ciuitatem Samaritanorum debere omitti, vbi erant schismatici, ostendit schismaticos gentilibus adæquari.*

¶ *Gratis accepistis, gratis date)* CON. TOL. 11. *Can.* 8. *Quicquid inuisibilis gratiæ consolatione tribuitur, nūquā quæstu, uel quibuslibet præmijs venundari penitus debet: dicente* Domino: *Quod gratis accepistis, gratis date.*

¶ *Nolite possidere aurum, neq; argentum &c.)* OECVM. *in Act.* Apostol *cap.* 18. *Præcepta illa non semper, sed ad tempus seruanda dabantur.* ET Paulo *post. Hoc autem, sicut dictum est, tunc iusserat suam volens ostendere potentiam, quod nulla re ad uitam necessaria carerent.*

¶ *Cum autem persequentur vos in ciuitate ista fugite in aliam.)* PELAG. *secundus* Pont. *Epist. secunda.* Nam *& ipse* Dominus *de loco ad locum secessit, id est transiuit,* Iudæis *illum quærentibus.* Fugiens *ille quærentes, & persequentes se dedit nobis exemplum fugere persequentes se, & de ciuitate ad ciuitatem trāsire, dicens si uos persecuti fuerint in ciuitate ista, fugite in aliam, et cætera talia his similia.* Nam *si fugere malum est, persequi multo deterius.* Hic *quidem, ne moriatur, absconditur: hic autem persequitur, ut occidat; & ut fugiatur præcipitur.* PET. ALEX. *can. nono de.* Pœnitentia. *Insuper in persecutionibus propter nomen suum profugere nos vult de loco ad locū: quemadmodum iterum audiuimus eum dicentem, Cum autem persequētur &c.* Non *vult nos transfugere ad satellites, & lancearios diaboli, ne auctores illis efficiamur plurium homicidiorum, & quasi cogentes eos, ut amplius exasperentur, & perpetrent mortifera facinora: sed uult ut expectemus, & nostri agamus curam: vigilare item, & orare; ne ingrediamur in tentationem.*

¶ *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine)* PHILIPP., *in* Iob. *cap. secundo.* Tenebræ *præ obscuritate sui scripturarum sacramenta intelligū-*

tur, in quarum arcanis, & secretis mysterijs habitaturum Deum propheta prae nunciat dicens: Et posuit tenebras latibulum suum. Et de quibus ipse Dominus ad discipulos suos ait: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine. id est: quae cūque uobis in aenigmate, & parabolis loquor, vos disserendo lumen audientibus praebete intelligentiae. Quia scripturae non solum per diligentiam, sed per gratiam Domini reuelantur.

¶ Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in caelis est.) A M B. *de poenitentia libro primo cap. secundo. Vbi confitetur, pro omnibus confitetur, omnes complectitur: ubi negat non omnes negat. Sicut enim supra habetur: Omnis qui me confessus fuerit, cō fitebor & ego eum, hoc est, omnem. Consequens erat ut infra quaq; sic diceret: Omnis autem qui negauerit me. Sed ne omnes negare videretur, ita subiecit. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum. Gratiam promittit omnibus: non omnibus minatur iniuriam. Quod est miserationis, exeggerat; quod vltionis, extenuat. Atq; ita scriptum est non solum in eo libro, qui secundum Matthaeum scribitur Euangelij Domini Iesu, sed etiā in eo lectum est, quem secundum Lucam reperimus, ut scias non otiose id posuisse utrunq;.*

IN CAPVT. 11.

¶ Nemo nouit filium nisi Pater: neq; Patrem quis nouit nisi Filius, & cui uoluerit Filius reuelare) A M B. *de Spiritu sancto libro secundo cap. 12. Plus dixit de filio, non quod plus habeat q̄ pater; sed ne minus habere credatur. Nec immerito sic reuelat Patrem, qui sic nouit Patrem, quemadmodū Filium nouit Pater. Accipe nunc quia Deum Patrē nouit & Spiritus. Scriptū est enim. Quia sicut ea, quae hominis sunt, nemo nouit nisi Spiritus qui in ipso est, sic & quae Dei sunt, nemo cognouit nisi Spiritus Dei. Nemo inquit, cognouit nisi Spiritus Dei, Nunquid exclusus est Dei Filius? non vtiq; quia nec Spiritus sanctus exclusus est quum dicitur: Neq; Patrem quis nouit nisi Filius. Ergo vnius et Pater, & Filius, et Spiritus sanctus & naturae sunt, et sciētiae.*

¶ Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos) D O R O T H. *Serm. primus. Quid est quod dixit? Ecce elaborastis, ecce miseri facti estis, iam experti estis malum contumaciae vestrae. Venite igitur, conuertimini, uenite, cognoscite imbecillitatem, & ignominiam vestram, ut redeatis in requiem, in gloriam vestram pristinam. Venite, reuiuiscite per humilitatem, qui per superbiam morti addicti estis.*

¶ *Ideo ipsi iudices vestri erunt.*) A M B. *in Epist. ad* Rom. *cap. secundo. Primum quidem accusatores erunt gentiles credentes non credentium gentiliũ, sicut Iudæis non credentibus dicit* Dominus *de discipulis suis: Ipsi iudices vestri erunt. quia perfidia Iudæorum iudicabitur fide* Apostolorum *: qui cũ ex ipsis essent, ipsis diffidentibus crediderunt.*

¶ *Spiritus autem blasphemia non remittetur*) A M B. *de Spiritu sancto libro primo cap.* 3. *Diligenter aduerte. Nunquid alia est offensa Filij, alia Spiritus sancti? Sicut enim vna Diuinitas, sic vna iniuria. Sed qui corporis specie deceptus humani, remissius aliquid sentit de Christi carne, q̃ dignum est, (neq; enim vilis nobis debet videri, quæ aula virtutis, fructus est virginis) habet culpam: non est tamen exclusus à venia, quam fide possit asciscere. Si quis uero Sancti Spiritus dignitatem, maiestatem, & potestatem abneget sempiternam, & putet non in spiritu Dei eijci dæmonia, sed in beelzebub, non potest ibi exoratio esse ueniæ, ubi sacrilegij plenitudo est. quia qui Spiritum negauit, & Deum Patrem negauit, & Filium: quoniam idem est Spiritus Dei, qui Spiritus Christi est. Vnum autem esse Spiritum nemo dubitauerit, & si de vno Deo pleriq; dubitauerint.*

IN CAPVT. 15.

¶ *Et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram)* A L E X. I. Pont. Epist. 1. *Quid enim aliud est reijcere mandatum Dei, quã priuato consilio, iudicio humano nouis rebus constituendis liberius delectari?*

¶ *Omne quod in os intrat, in ventrem uadit, et in secessum emittitur)* G V I M. *de veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia libro secundo. Non enim sententia illa Dominica nisi de cibis, qui ad sustinendam huius mortalis corporis vitam ingeruntur, competenter intelligi potest. Nemo est enim qui de eo, quod Saluator post resurrectionem suam comedit, sicut nec de Angelis, qui apud Abraham comederunt, id uel audeat suspicari. Sicut igitur cibus corruptibilis quum ab immortalibus sumitur, hac secessus lege commode crediur non teneri: ita cibum incorruptibilem, quod est corpus Domini, quum à mortalibus editur, secessus necessitatem pati nefas est arbitrari.*

¶ *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel*) A M B. *in Psalmum.* 43. *In quo quidem loco velut dubitasse quosdam cognoui quid sit quod ait: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Quasi nobilitatem generis electi ad saluandas animas Dominus quæ*

fisse uideatur, qui venit ut omnes redimerentur. Sed ostendere dignatus est propositum, quod eos quos primo elegerat, nequaquam refutare cupiebat: & sæpe deuios, & errantes paterno quodam reuocare quærebat affectu. Sed vbi ipsi auctorem proprium reliquerunt, sciens se Deum montium esse, non uallium, & regnum cœlorum non à fastidientibus, sed à colentibus diripi, paulatim conuersus ad gentes est: ut & nationum pius probaretur affectus, & illorum merito pertinacia condemnaretur.

IN CAPVT. 16.

℣ *Tu es Christus filius* Dei *uiui*) LEO. *primus* Pont. *Epist.* 14. Hoc *est, tu qui vere es filius hominis, idem uere es filius* Dei *uiui. Tu inquã uerus in Deitate, uerus in carne: & salua geminæ proprietate naturæ utrinq; unus.*

℣ Beatus es Simon Bariona, *quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est*) Leo. 3. Pont. Serm. *secundo in natiuitatem* Apostolorum Petri & Pauli. *Ideoq; beatus es, quia pater meus te docuit, nec opinio te terrena fefellit, sed inspiratio cœlestis instruxit, & non caro, & sanguis, sed ille me tibi cuius sum vnigenitus indicauit.* CONC. ARAVSICANVM Can. *octauo. Si quis alius misericordia, alius uero per liberum arbitrium, (quod in omnibus, qui de præuaricatione primi hominis nati sunt) constanti sæuitia hominem ad gratiam baptismi posse uenire contendit, à recta fide probatur alienus.* Is *enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum, aut certa ita læsum putat, ut tamen quidam ualeant sine reuelatione* Dei *mysterium salutis æternæ per semet ipsos posse conquirere. Quod quã sit contrarium, ipse* Dominus *probat, qui non aliquos, sed neminem ad se posse uenire, testatur, nisi quem Pater attraxerit.* Sicut & Petro dicit: Beatus es Simon Bariona &c.

℣ Et ego dico tibi *quia tu es* Petrus: & *super hanc petram ædificabo* Ecclesiam *meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam*) LANF. *de Sacramento* Eucharistiæ. *Et hoc impio ore garriisti, quod garrisse nemo legitur, non hæreticus, non schismaticus, non falsus aliquis Christianus. Quotquot enim à primordio Christianæ Ecclesiæ Christiani nominis dignitate gloriati sunt, & si aliqui relicto veritatis tramite per deuia erroris incedere maluerint, sedem tamen sancti* Petri *Apostoli magnifice honorauerunt, nullamq; aduersus eam huiusmodi blasphemiam vel dicere, vel scribere p̃sumpserunt. Quod indubitatũ habet, qui eorũ scripta legit, quæ diuersis temporibus, ac diuersis de causis*

Sedes Apostolica ab eis transmissa, vel porrecta recepit. Deniq; ipse Dominus honorifice alloquitur eum in Euangelio suo dicens: Tu es Petrus, & super &c. Quæ tametsi de pastoribus sanctæ Ecclesiæ dicta esse credantur, & à quibusdam catholicis exponantur; præcipue tamen de Romana Ecclesia intelligẽda esse sacri Canones & Pontificum Decreta testantur. LEO 3. Pont. Serm. secundo in natiuitatem Apostolorum Petri & Pauli. Hoc est Sicut Pater meus tibi manifestauit Diuinitatem meam, ita ego notam tibi facio excellentiam tuam. Quia tu es Petrus: id est cum ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis qui facio vtraq; vnum, tamen tu quoq; petra es, quia mea virtute solidaris: ut quæ mihi potestate sunt propria sint tibi mecum participatione cõmunia. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferni non præualebunt aduersus eam. Super hanc inquit fortitudinem æternum extruã templum: & Ecclesiæ meæ cœlo inserenda sublimitas in huius fidei firmitate consurget. Hanc confessionem portæ inferi non terrebunt: mortis uincula non ligabunt. Vox enim ista vox vitæ est: & sicut confessores suos in Ecclesia prouehit, ita negatores ad inferna demergit. LEO. primus Pont. Epist. 87. Sed huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum Officium pertinere voluit; ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret; ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet: exortem se mysterij intelligeret esse Diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat, uoluit nominari, dicendo, Tu es Petrus: & super han petram ædificabo Ecclesiam meam. Vt æterni ædificatio templi mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret: hanc Ecclesiam sua firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam inferni præualerent. MAXIM. TAVR. in natali sanctorum Tauricorum. Nam ideo hoc à maioribus prouisum est, ut Sanctorũ ossibus nostra corpora sociemus, vt dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat: dum illis Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo martyribus quiescentes euadimus inferi tenebras, eorum proprijs meritis, attamen consocij sanctitate. Ait enim Dominus Petro. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt ei. Si ergo Apostolo, & martyri Petro inferni porta præualet, quisquis sociatur martyri, tartaro non tenetur. Martyres enim inferni porta non possidet, quoniam eos paradisi regna suscipiunt. Nã videmus eos vtiq; iã regnare.

¶ Et tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcũq; ligaueris super terrã, erit ligatum & in cœlis: &c.) IVL. primus Pont. Can. 3. Quoniam quamq; à comprouincialibus episcopis accusati causam Pontificis scrutari liceat, non

tamen definiri inconsulto Romano Pontifice *permissum est: cum beato* Petro Aposto'o,*&* *non ab alio quam ab ipso dictum sit* Domino: Quæcunq; *ligaue ris super terram &c.* FELIX *secundus* Pont. Can. 18. *Quanq; compro uincialibus episcopis vna cum eorum metropolitano suæ prouinciæ causam epi scoporum liceat charitate,& concorditer agitare,non tamen (sicut in prædicta te præsente constitutum est* Synodo) *licet definire absq;* Romani Pontificis *au ctoritate. Quod si secus à quibusdam præsumptum fuerit, ipsi qui hoc egerint suæ p̄sumptionis suscipiant damnum: & illi,qui ab eis perperam exommunica ti,aut damnati fuerint, auctoritate huius sanctæ sedis, & beati p̄ceptoris nostri clauigeri* Petri *potestate soluantur, atq; restituantur.* Ipse *enim ait* Dominus: Quæcunq; *ligaueris super terram.&c.*

℣ *Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum*) ANS. *de mensuratio ne* Crucis. Immo Domine *iam cogor dicere,saluo verbo tuo, quod nullus se met ipsum ualeat abnegare. Quomodo enim se abnegabit,qui nunquā aliquid iuris in se habuit?* Sed Domine *in hoc verbo ostendis maximam gratitudinem tuam: ut hoc tanti æstimes,ut quicunq; in se sibi aliquid iuris vsurpauerat, si ab hoc ceciderit, ut vlterius se tibi rapere non attentet,* Da mihi Domine *ut me abnegem: immo ut reddam quod rapui violenter.*

IN CAP. 17.

℣ *Da eis pro me, & te.*) AMB. *in* Lucam *libro quarto. Magnum qui dem & spiritale documentum,quo* Christiani *viri sublimioribus potestatibus do centur debere esse subiecti, ne quis constitutionem regis terreni putet esse sol uendam.* Si *enim censum* Dei *filius soluit,quis tu tantus es, qui non putes es se soluendū?* Et *ille censum soluit, qui nihil possidebat: tu autē qui sæculi seque ris lucrum,cur sæculi obsequium non recognoscas?*

IN CAPVT. 18.

℣ Nisi *conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnū cælorum*) IDEM *de* Paradiso *cap.* 12. Puer *enim cum maledicitur,nō remaledicit: cum percutitur, non repercutit: ambitionum,& rapinarum ten tamenta non nouit.*

℣ Si *duo ex vobis consenserint super terram &c.*) CYP. *de simplicitate prælatorum.* Vnanimitatem *prius posuit, concordiam pacis ante præmisit, ut conueniat nobis fideliter,& firmiter docuit. Quomodo autem potest ei cum aliquo conuenire cui cum corpore ipsius* Ecclesiæ, *& cum vniuersa fraternita te non conuenit?* Quomodo *possunt duo, aut tres in nomine* Christi *colligi,quos*

constat à Christo, & ab eius Euangelio separari? Non enim nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt. ET paulo post. Non homines ab Ecclesia diuidit, qui instituit, & fecit Ecclesiam; sed exprobrans discordiam perfidis, & fidelibus pacem sua uoce commendans, ostendit magis esse se cum duobus, aut tribus unanimiter orantibus, quã cum dissidentibus plurimis: plusq; impetrari paucorum concordi prece, quã discordi oratione multorum.

IN CAPVT. 19.

Vende omnia quæ habes, & da pauperibus) AMB. *in Psalmum. 1. Deinde dicenti quod fecisset illa omnia addiecit perfectiora, dicens: Vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo. Tantũq; abesse docuit inter malorum declinationem, & imitationem bonorum: ut hæc abnuerit, qui illa sibi facilia iudicabat. Sed quia nec illa ascenderat, ideo ad hæc aptare se non potuit. Nam si dilexisset proximum, potuisset pauperibus subsidia sui patrimonij non negare.*

IN CAPVT. 20.

Multi enim sunt uocati, pauci vero electi) PRIMAS. *in Epist. ad Heb. cap. nono. Vt repromissionem æternæ hæreditatis accipiant illi, qui uocati sunt æterna uocatione. Nam non loquitur hic de generali vocatione de qua Dominus ait: Multi uocati, sed pauci electi: sed de illa de qua idem egregius prædicator ait loquens de electis: Quos præsciuit, hos & prædestinauit &c.*

Non est meum dare uobis, sed quibus paratum est à Patre meo) AMB. *de fide lib. 5. cap. 3. Deniq; ut agnoscatis non infirmitatis, sed indulgentiæ, esse quod dixit: Non est meum dare uobis; vbi sine matre filij Zebedæi rogant, nihil de Patre dixit. Sic enim dixit. Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est. Ita Marcus Euangelista posuit. Vbi vero mater pro filiis rogat, hoc est secundum Matthæum. Non est, inquit, meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Hic addidit, à Patre meo, quia maiorem indulgentiam maternus poscebat affectus.*

IN CAPVT. 22.

Quomodo ergo Dauid in spiritu uocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus &c.) AMB. *de fide lib. 3. cap. 4. O quã caute propter Arianos etiam in hoc testimonio Dominus fidei prospexit. Non enim dixit: Vocat*

eum Spiritus

cum Spiritus Dominum? Sed quod Dauid dixit in Spiritu: ut cuius secundũ carnem filius est (Dauid scilicet) eius etiam secundum Diuinitatem & Dominus, & Deus crederetur.

IN CAPVT. 16.

Quum uideritis abominationẽ desolationis) GREG. TVR. *historiarũ gẽtis Francorũ lib. 1. Antichristus uero primũ circuncisionem inducet, se asserẽs Christũ: deinde in tẽplo Hierosolymis statuã suam collocabit adorandam: sicut Dominum dixisse legimus: Videbitis abominationem &c.* VICTOR. MARTYR. *in Apocal. Et statuet, inquit, templum suum super Samariã, super montem inclytum, & sanctum, id est Hierosolymis imaginem, sicut Nabuchodonosor fecerat, tunc hic substituet. Modo hoc Dominus resoluens, admonens Ecclesias suas de nouissimis temporibus, & periculis, ait: Cum autem videritis aspernationem quæ dicta est per Danielem prophetam stantem in loco suo, qui legit, intelligat. Aspernatio dicitur, quando exasperatur Deus quod Idola pro eo colãtur: uel dogma hæreticorũ in Ecclesijs introducatur.* HIER. *in Esaiam capite secundo. Vbi quondam erat templum, & religio Dei, ibi Hadriani statua, & Iouis idolum collocatum est. quod multi super illo testimonio interpretantur, quod in Euangelio legimus: Quum autem videritis abominationem &c.* AVCTOR. *Vide quæ in Danielis cap. nonũ notauimus.*

Tunc apparebit signum filij hominis in cælo) EPHRAEM *Serm. de Pœnitentia. Cum viderimus signum, preciosam scilicet, ac uiuificam Crucem in cœlo lucentem, omnesq; fines orbis terræ ultra solis claritatem illustrantem. Vbi uero uiderint omnes regium istud, ac tremendum sceptrum in cœlo reuelari, iam tunc agnoscent singuli continuo ipsum quoq; regem reuelandum, qui illo clauis affixus est.* PET. CLVN. *Epist. 1. lib. 1. Quid rogo hic dictũ signũ filij hominis putatis? nunquid ipsum filium hominis? sed signum non est res eadẽ cuius est signum. Aliud est enim signum, aliud illud cuius est signum. Vnde nõ potuit esse signũ filij hominis, quod est ipse filius hominis. Quid ergo erit? cogitate, quærite, uestigate. Quid erit tãti precij, tãtæ gloriæ, tãtæ sublimitatis signũ ut tũc appareat in cœlo, quãdo ipse filius hominis cũ uirtute magna, et maiestate descendet de cœlo. Sed quid laboratis? Nolite leuitatem uẽtorum, vanitatẽ umbrarũ, phantasmata somniorum, distortas persequi semitas errorum. Abijcite mendacia in quibus nihil stabile: assumite ueritatẽ, in qua nihil est mobile. Illud, illud est signũ filij hominis, quod eũ magis declarat esse filiũ hominis. Quid uero eũ adeo declarauit esse filiũ hominis, q̃ mors, quã nullus unq̃ euadit filius hominis? Quam quia in hac, de qua sermo est, Cruce, Christus pati voluit; licet esset filius Dei, filium tamen se esse hominis per crucem moriendo*

signauit. Signando ergo verum filium hominis, dicitur Crux uere signum filij hominis.

IN CAP. 25.

¶ *Venite benedicti &c.)* FVLG. *de duplici prædestinatione libro primo. Quod vtiq; manifesto Dominus ipse Sermone perdocuit in eo, quod à se ostendit paratum non solum regnum vbi lætentur boni, sed & ignem æternum ubi crucientur mali. Bonis ergo dicturus est: Venite benedicti &c. malis autē dicturus est: Ite maledicti &c. Ecce ad quod Dominus iniquos, & impios pdestinauit, id est ad supplicium iustum, non ad aliquod opus iniustum: ad pœnam non ad culpam: ad punitionem, non ad transgressionem: ad interitum, quem ira iusti iudicis peccantibus reddidit, non ad interitum, quo in se iram Dei peccantium iniquitas prouocauit.*

¶ *Discedite à me maledicti in ignem æternum &c.)* ARNOB. *in Psalmum. 100. Non enim dicit iniustis ad sinistram positis: Ite in ignem æternū quia mentiti, quia fornicati, quia diuersa facinora commisistis, sed quia esuriui, & non dedistis mihi manducare &c. Cum ergo ignis criminibus debeatur: cur criminibus non imputetur supplicium, quo crimina per misericordiā remittantur? Ite ergo, inquit, in ignem æternum, quia unde ignis extinguitur contempsistis. Audistis enim scriptum, quod eleemosina à peccato liberat: audistis quia sicut ignis extinguitur ab aqua, ita ab eleemosyna tolluntur vniuersa peccata: Ite ergo in ignem, quia viuere eum uos fecistis.*

¶ *Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam)* FVLG. *Supra. Prædixit, & promisit præmium quo fruentur iusti: non autem promisit, sed prædixit supplicium, quo punientur iniusti. Neq; vero sicut prædestinauit sanctos ad iustitiam accipiendam, sic prædestinauit iniquos ad eandē iustitiam amittendam.* IVLIAN. *de prognosticis futuri sæculi libro. 3. cap. 44. Ordo verborum Promissionis Dominicæ, quo Dominum Christum, & sanctis regnum, & reprobis credimus daturum perenne supplicium, ita se habet: ut prius præcurrat impiorum damnatio, & postea sequatur remuneratio electorum: Christo Domino prædicante: Ibunt iniusti in supplicium æternum, iusti autem in uitam æternam. In Apocalypsi seruatum quoq; hunc ordinem legimus; vbi signanter expressus est. Prius enim de diabolo, ac suorum omnium pœna refertur, & dicitur: Mors, & infernus missus est in stagnum ignis ardentis sulfuris, & omnis qui non est inuentus in libro vitæ missus est in stagnum ignis. Post inde de sanctorum beatitudine futura subiungitur. Et uidi cælum nouum, & terram nouam. Quibus verbis datur intelligi, quod*

iusto Dei iudicio prius peccatoribus irrogetur æternum supplicium, & postea sanctis æternorum retribuantur munera premiorum.

IN CAPVT. 26.

¶ *Pater si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu,*) VI. SYNOD. CONST. *Actione. 4. Quod & sanctus Ambrosius in explanatione sancti Lucæ Euangelistæ sic dißerit. Suam ad hominem retulit; Patris, ad Diuinitatem. Voluntas enim hominis, temporalis: voluntas Diuinitatis, æterna. Hæc spiritalis pater cōmemorans, astruit qualem uoluntatem ex æterno cum Patre, & Spiritu sancto Filius communē naturaliter habet, qualem ue temporaliter per aßumptam humanitatem idem ipse in sua persona suscepit. Quod & Apostolicæ memoriæ sanctus Leo in epistola ad Leonem Augustum explanat: unicuiq; formæ, id est naturæ, quæ in Christo sunt, discreta consideratione, quæ in scripturis de eo referuntur, assignans, & hoc quod suam Dominus dixit voluntatem, ad humanitatem eius pertinere demonstrans, sic dicit. Secundum quidem formam serui non venit facere voluntatem suam, sed eius, qui misit eum. Ecce enim hic apostolicus pater ad formam serui eundem Domini nostri Sermonem congruere, nos docuit intelligere.*

¶ *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*) CONC. TRIB. *cap. sexto. Si quis temerarius atrium Ecclesiæ euaginato gladio præsumptuose intrauerit, sacrilegium facit. Et iccirco sacrilegium in atrio Domini factū, saacrilegij more altari, & Domino persoluatur. Dominus dicit in Euangelio: Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. Id est, qui se ipsos uice talionis per peccatum in præsenti ulcisci desiderant, gladio ipsius peccati in anima moriuntur.*

IN CAPVT. 27.

¶ *Et proiectis argenteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit*) DROGO de Sacramento Dominicæ passionis. *Vide quantum magni pon derabat eos. Non proiecit eos in sterquilinio, sed in templo: nimirum talibus semper dijs templum suum deuouerat; auaritia enim simulacrorū seruitus est: & auaritia excæcat oculos sapientum. Ecce infelix qualiter excæcatus est: maluit se ipsum perdere, quā denarios perire. Denarios templo, se ipsum laqueo addixit: amabat hæredes suos qui eosdem denarios exinde colligerent, qui etiā nunc reseruant in suo corbano: proiecit eos in templo: & abiens laqueo se su*

spendit. Iandiu quidem quod à Christo recesserat, & auaritiæ laqueo se suspẽderat; sed quod fecerat in occulto, palam omnibus innotuit. Exterioris pœnæ qualitas supplicij modum aperuit: quia per quæ peccauerit homo, per hæc et morietur.

¶ *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super uniuersam terram usq; ad horam nonam)* DION. AR. *Epist. septima. Quid de illo, qui tempore Crucis* Dominicæ *factus est solis defectu dicturus es? Eramus tunc ambo apud* Heliopolim, *amboq; simul incidentem mirabiliter* Soli Lunæ *globum notabamus, (non enim eiusce coniunctionis tunc aderat tempus) ipsamq; rursus ab hora nona ad vesperam ad* Solis *diametrum supra naturæ vires restitutam.* In *memoriam autem illius reuoca & aliud quiddam. Nempe enim (ut ipse non ignorat) eam* Lunæ *incidentiam ab* Oriente *cœpisse usq; ad* Solaris *corporis finem peruenisse, ac tum demum resiliisse notauimus.* Neq; *uero eadem ex parte, vt assolet, & incidentia illa & repurgatio facta est, sed ex aduerso diametri. Hæc sunt quæ tunc temporis contigere naturam profecto superantia, ac* Soli Christo *possibilia, qui auctor est omnium, facit'q; magna & stupenda, quorum non est numerus. Ista illi, si licuerit, dicito. Ea si potes* Apollophanes *argue. Nempe enim præsens vna tecum affui, unaq; aspexi, ac diiu dicaui omnia, dignaq; sum admiratione prosecutus.* Deniq; *tunc nescio quo modo ad diuinationẽ quoq; prorupit* Apollophanes: *atq; ad me cõuersus, hæ, inquit, o præclare* Dionysi *diuinarum sunt uicissitudines rerum.* EVSEB. *in* Chronicis. *Scripsit uero super his &* Phlegon, *qui* Olympiadum *egregius supputator est in. 14. libro, ita dicens.* Quarto *autem anno. 211.* Olympiadis *magna, & excellens inter omnes quæ ante eam acciderant, defectio* Solis *est facta. Dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, ut* Stellæ *cœlo visæ sint, terræq; motus in* Bithynia Nicena *vrbis multas ædes subuerterit.* Hæc *supradictus uir.* PAVL. OROS. *Eadem quoq; die ad horam diei sextam sol in totum obscuratus, tetraq; nox subito obducta terris est: & sicut dictum est,* Impiaq; *æternam timuerunt sæcula noctem.* Vsq; *adeo autem neq;* Luna *lumini* Solis, *neq; nubes obstitisse manifestum est, ut. 14.* Luna *ea die tota cœli regione interiecta, longissime à conspectu* Solis *abfuisse, & stellas tunc diurnis horis, uel potius in illa horrenda nocte toto cœlo fulsisse refertur. Quod non solum* Sanctorum Euangeliorum *fides, sed etiam aliquanti* Græcorum *libri attestantur.*

¶ *Et posuit illud in monumento suo nouo quod exciderat in petra)* AMB. *de* Virginibus *libro tertio. Bene &* Matthæus *monimentum dixit nouum, ne ex monimento veteri resurrexisse alius crederetur. Bene etiam secundum* Spiritum, *iusti in monimentum positum est, quia* Christus *à mortuis in no*

uo iusti resurgit affectu. Bene etiam secundum literam, alienum monimentum fuit, quia suum monimentum Dominus non quæsiuit. Habeant tumulum, qui sub lege sunt mortis: victor mortis suum tumulum non habebat. Non enim iste sepulchrum mortis desiderabat, qui de morte trophæa referebat.

IN CAPVT. 28.

Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti) CEREALIS aduersus Maximinum cap. 15. Si Trinitas non est, quare dictum est. Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti? Si Vnitas non est, quare in uno Nomine, dictum est, & non in, Nominibus? AMB. Episcopus de Spiritu sancto libro primo. cap. 14. In nomine dixit, non in nominibus. Non ergo aliud nomen Patris, aliud nomen Filij, aliud nomen Spiritus sancti; quia unus Deus: non plura nomina, quia non duo Dij, non tres Dij. Et ut aperiret quia vna diuinitas, una maiestas est; quia vnum nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti, et non in alio nomine venerit Filius, in alio nomine Spiritus sanctus, ait ipse Dominus: Ego ueni in nomine Patris &c. IDEM infra libro secundo cap. 10. Nunquid hic circa Patrem, uel Filium, uel Spiritum sanctum aut verbum mutauit, aut Syllabam? Non vtiq;, sed in nomine, inquit, Patris, & Filii & Spiritus sancti: idem de Spiritu, quod de Patre, & de se sonat. Vnde nullam Spiritus sancti ministerium, sed consortium magis honoris, aut operis, cum in Spiritu dicatur, æstimatur. Considera & hic quia ad Patrem, & Filium hoc opinionis vestræ præiudicium deriuatur: quia hic non dixit, Cum Patris, & Filij, & Spiritus sancti nomine, sed, in nomine: & tamen non ministerium aliquod Trinitatis hac Syllaba exprimitur, sed Potestas. EPIPH. hæresi. 20. Hoc est, transferte gentes à malitia ad ueritatem, à sectis ad unam vnitatem. Baptizate ipsos in nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti, in Dominicam nominationem Trinitatis, sanctum, ac regium sigillum: ut ostenderet ex nomine nullam alterationem esse vnius vnitatis. Vbi enim qui baptizantur, iubentur ab ipso baptizari in nomen Patris, certa est glorificatio, in nomen Filij, non inferioris est nomenclatura, in nomen Spiritus sancti, non diuisa est coniunctio, vnius deitatis habens sigillum.

IN CAPVT. 13.

De die autem illo, uel hora nemo scit, neq; Angeli in cœlo, neq; Filius, nisi Pater) **AMB.** *Episcopus de Fide libro quinto cap. octauo.* Primum *ueteres non habent codices græci, quod nec Filius scit. Sed non mirum si & hoc falsarunt, quia scripturas interpolauere diuinas. Qua ratione autem uideatur adiectum, proditur, dum ad interpretationem tanti sacrilegij deriuatur. Pone tamen ab Euangelistis scriptum. Medium itaq; nomen est Filij. Nam & filius hominis dicitur, ut secundum imprudentiam assumptionis nostræ diem futuri iudicij nesciisse uideatur. Quomodo enim nesciret diem Dei filius, cum in ipso sint thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi?* **IDEM** *infra. Mauult enim Dominus nimio in discipulos amore propensus, pendentibus ijs, quæ cognitu inutilia iudicaret, uideri ignorare quod nouerat: q; negare: plusq; amat nostram vtilitatem instruere, quam suam potentiam demostrare.* **EPIPH.** *hæresi. 59. Quandoquidem Pater iudicium dedit Filio, notionis, & usus cognitionem reddidit iam Patri. Nempe, Nemo nouit diem nisi Pater, iuxta duos modos, quos nouit quando uenit. Nam in ipsius potestate dies, & hora ueniet. Et nouit ipsam: iam enim peractum erat ab eo iudicium, traditum unigenito. Ita est & in Vnigenito filio Dei, qui Deus est, & nihil à Patre euariat eadem notio. Ipse enim nouit ipsam, & ipse ducit ipsam, & fert, & perficit, & iudicat, & sine ipso non ueniet. Nondum vero nouit ipsam secundũ actionem, hoc est nondũ iudicauit. Adhuc enim impij impie agunt, & iniusti abundant, & scortatores, & adulteri, & idololatræ iniqui sunt, & diabolus operatur, & hæreses insurgunt, & error committitur, donec intulerit ipsam diem unigenitus Filius Dei, & quod iustum est vnicuiq; retribuerit: & cognoscet ipsam, hoc est peraget ipsam potentia. Et in Patre quidem iuxta duos modos impletum est: in Filio vero secundum notionem est, & non ignoratur. Verum secundum actionem nondum perfectum est, quia nondum iudicauit. Cæterum à sanctis Angelis iuxta duos modos hoc remotum est, & quod non nouerunt notione per intellectum contingente, & quod nondum secundum actionẽ ipsi cognouerunt, hoc est perfecerunt. Nondũ enim præceptum est ipsis egredi, ac colligere impios uelut zizania in fasciculos, & pparare, ut comburãtur igni.*

IN CAPVT. 14.

Sumite: hoc est corpus meum &c.) **EVGEN.** 4. *Pont. in Decreto, cuius initium. Exultate. Forma huius sacramenti sunt uerba Saluatoris, quibus hoc conficit sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc*

conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum uirtute substantia panis in corpus Christi, & substantia uini in sanguinem conuertuntur: ita tamen, quod totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie uini, sub qualibet quoq; parte hostiæ consecratæ, & uini consecrati (separatione facta) totus est Christus. CHRYSOST. hom. de proditione Iudæ. Et nunc ille præsto est Christus, qui illam ornauit mensam, ipse istam quoq; consecrat. Non enim homo est, qui proposita de consecratione mensæ Domini corpus Christi facit, & sanguinem, sed illi qui crucifixus pro nobis est Christus. Sacerdotis ore uerba proferuntur, & Dei virtute consecrantur, & gratia. Hoc est, ait, corpus meum. Hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa uox quæ dixit: crescite, & multiplicamini, & replete terram: semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura: ita & uox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usq; ad hodiernam diem, & usq; ad eius aduentum præstat sacrificio firmitatem. EVSEB. EMES. hom. quinta de Pascha. Sicut autem quicunq; qui ad fidem venias ante verba baptismi adhuc in uinculo est ueteris debiti, his uero commemoratis mox exuitur omni fæce peccati: ita quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, atq; inuocatione summi nominis consecrantur: substantia illic est panis & vini: post verba autem Christi corpus, & sanguis est Christi. Quid mirum autem si ea, quæ uerbo creare potuit, possit creata conuertere? immo iam minoris uidetur esse miraculi, si id quod ex nihilo agnoscitur condidisse, iam conditum in melius ualeat cõmutare.

IN CAPVT. 16.

¶ Surgens autem mane prima Sabbati) SVIDAS in verbo πρωῒ πρωῒ autem est totum illud interuallum quod post gallicinium est. Cum autem sacra scriptura dicit: Cũ surrexisset mane, ne sibi aduersari uideatur (cũ hora resurrectionis Domini incerta, atq; incognita sit) post, Cum surrexisset, interpunctio necessaria est: atq; ita subiungendum: Mane prima sabbatorum apparuit Mariæ.

IN LVCAM.

IN CAPVT. 1.

¶ Et factum est ut impleti sunt dies officij sui, abijt in domum suam) INNOC. 1. Pont. decreto. 9. Præterea, quod dignum, & pudicum, & honestum est, tenere Ecclesia omnino debet, ut Sacerdotes, & Leuitæ cum uxoris

bus suis non misceantur : quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim : sancti estote , quoniam & ego sanctus sum Dominus Deus *uester . Nam si priscis temporibus de templo* Dei *sacerdotes anno vicis suæ nō discedebant , sicut de* Zacharia *legimus : nec domum suam omnino tangebant: quibus utiq; propter sobolis successio nem vxoris vsus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu,& præter quā ex semine* Aaron *, ad sacerdotium nullus fuerat pceptus accedere: quanto magis hi sacerdotes , uel leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent? quibus uel sacerdotium , uel ministerium sine successione est: nec pterit dies, qua vel à sacrificijs diuinis , uel à baptismatis officio uacent .* Nam *si beatus* Apostolus Paulus *ad Corinthios scripsit dicens: Abstinete uos ad tempus , ut uacetis orationi , & hoc utiq; laicis pcepit : multo magis sacerdotes , quibus & orandi,& sacrificandi iuge officium est, semper debebunt ab huiusmodi consortio abstinere .*

¶ *Quomodo fiet istud? quoniam uirum non cognosco)* AMB. *de* Abraham *libro secundo cap. octauo . Qui quærit , quomodo fiet,non dubitat manifestante* Deo *cognoscere se posse , sed formam uult acquirendæ cognitionis aduertere .* Nam *& in* Euangelio Maria *cum audisset ab* Angelo,*quod virgo paritura esset filium , respondit : Quomodo fiet istud ? quoniam uirum non cognoui.* Et *iure respondit . hoc est, Cum id , quod naturæ est,non suppetat , quia non solet parere uirgo , quæ uiro non fuerit copulata ; quæro, quomodo præter instituta naturæ possim generare .* AVG. de Virginitate, *cap.quarto . Ipsa quoq; uirginitas eius gratior , & acceptior ,quia non eam conceptus* Christus *uiro uiolaturo quam conseruaret,ipse eripuit, sed priusq; conciperetur,iā* Deo *dicatam , de qua nasceretur,elegit.* Hoc *indicant uerba, quæ sibi fœtum annūciante angelo* Maria *reddidit . Quomodo , inquit , fiet istud ? quoniam uirum non cognosco . Quod profecto non diceret , nisi* Deo *virginem se ante nouisset.* Sed *quia hoc* Israelitarum *mores adhuc recusabant,desponsata est uiro iusto, non uiolenter ablaturo, sed potius contra uiolentos custodituro quod illa iam uouerat . Quanq; etiam si hoc solum dixisset. Quomodo fiet istud ? nec addidisset: Quoniam virum non cognosco : non quæsisset vtiq; promissum sibi filium quomodo fœmina paritura esset, si concubitura nupsisset .*

¶ Ideoq; *et quod nascetur ex te sanctum , uocabitur filius* Dei*)* GEL. Pont. *de duabus naturis in Christo .* Ex *te nascetur , ait,ut proprietatem de matre sumendam nostræ conditionis exprimeret : et , sanctum quoniam sine cōtagione carnalis concupiscentiæ gigneretur : et uocabitur filius* Dei *, ut simul humanæ , diuinæq; naturæ , hac ipsa conceptione , sicut dictum est, mirabiliter uniendum proderet sacramentum.*

Exijt

IN CAP. 2.

¶ *Exijt edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur uniuersus orbis*) SVID. *in Verbo* ἀπογραφή. *Cæsar autem Augustus qui vnus dominatu omnia te nuit, cum uiginti uiros & vita, & moribus præstantes elegisset, in omnem terram sibi subiectam dimisit, per quos tum hominum, tum facultatum descriptiones fecit, particulam quandam ex his, quæ satis esset, rerum publicarum administratori deferendam mandans.*

¶ *Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes uigilias noctis super gregem suum*) ORESIESIS *in Regulis de Institutis Monasticis. Num illi soli eo tempore pascebant oues, & per deserta sequebantur gregem? Sed quia soli erant sollicití, & naturalem noctiū somnum insidiantium luporum timor superabat, idcirco primi audire meruerunt* ꝙ *in uicino sit: & Hierosolyma dormiens ignorabat.*

IN CAPVT. 4.

¶ *Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est ad Iordanem*) ANTONIN. *Epistola Consolatoria ad Arcadium. Impleuit autem carnem Christi & Pater, & Spiritus sanctus, sed maiestate, non susceptione. Vis scire quia in eo fuit Pater? Non sum solus, inquit Christus, sed & Pater mecum est. Audi de Spiritu sancto quia cum eo erat quid Euangelista referat. Iesus plenus Spiritu sancto regressus est ad Iordanem. Ecce solus Christus suscepit carnem, & tamen Pater, & Spiritus sanctus non defuerunt maiestate.*

IN CAPVT. 6.

¶ *Factum est autem in Sabbato secundo primo.*) AMB. *Episcopus in Psalmum. 47. Vbi enim dominica dies cœpit præcellere, qua Dominus resurrexit: Sabbatum, quod primum erat, secundum haberi cœpit à primo. Prima enim requies cessauit, secunda successit.* EPIPH. *hæresi. 51. Vt ostendat Sabbatum primum esse, quod ab initio decretum est, ac dictum à Domino in mundi creatione, quod per circuitum ab eo tempore, usq; huc iuxta septem dies reuoluitur: hoc scilicet primum esse. Secundum vero sabbatum, quod decretum est à lege.* SVID. *in verbo* Σάββατον. *Sabbatum autem secundo primum, propterea quod secundum erat Paschatis, primum autem azymorum. Quod si sabbatum dictum est, ne admireris: sabbatum enim omnem diem festum appellabant: & ob id dictum est sabbatum sabbatorum.*

O

¶ *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ, & hæc uidua erat)* GREG. NYSS. *de Creatione hominis. cap. 26.* Perspicis pondus calamitatis? quomodo passionem breuiter extulit? Quid enim est quod dicitur? Quia non erat amplius spes ulla, qua posset filios recreare, tantæq; leuamen orbitatis assumere. Vidua quippe erat: nec habebat alterum, quem pro defuncto conspiceret: nam partus ei extiterat singularis. Quantum uero hoc malum sit, facile omnes intelligunt, qui naturæ iura cognoscunt.

IN CAPVT. 10.

¶ *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem)* AMB. *Episcopus de fuga sæculi cap. septimo.* Non fulgur, inquit, sed sicut fulgur, quia suum lumen amisit quod habebat antequam tibi tuum lumen uellet auferre. Verum forte dicas, quia & de Saluatore legimus: Quia sicut fulgur coruscans de sub cœlo, ita erit & aduentus filij hominis. Bene & hic sicut fulgur, quia hic supra fulgur. Deniq; fulgur de sub cœlo, lumen autem uerum supra cœlum. ATHAN. *contra gentiles libro secundo.* Id uero oportebat per mortem fieri. Qua autem morte, nisi quæ in aere fieret, id est, cruce? Solus enim in aere moritur, qui in cruce consumatur: ideo hanc merito sustinuit Dominus. Sic enim exaltatus, aerem ab omni diaboli, ac dæmonum incursione purgauit, dicens: Videbam satanam quasi fulgur cadentem, ascensumq; ad cœlos iter faciens innouauit, HIER. *in Esaiam cap. 14.* Vere enim ululare debuit, & eiulare, qui propter superbiam suam de cœlo in terram præcipitatus atq; contritus est. Vnde & Saluator ad discipulos loquitur: Videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem. Non modo uideo, sed prius videbam quando corruit.

IN CAPVT. 12.

¶ *Sint lumbi uestri præcincti &c.)* CYP. *de simplicitate prælatorum.* Ac cinctos nos esse oportet, ne cum expeditionis dies uenerit, impeditos, & implicitos apprehendat. Luceat in bonis operibus nostrũ lumen, & fulgeat, ut ipsum nos ad lucem claritatis æternæ de hac sæculi nocte perducat. Expectemus soliciti semper, & cauti aduentum Domini repentinum, ut quando ille pulsauerit, euigilet fides nostra, uigilantiæ præmium de Domino receptura. Si hæc mandata seruentur, si hæc monita, & præcepta teneantur; oppri-

mi dormientes diabolo fallente non possumus. Serui uigiles Christo dominante regnabimus.

¶ Amen dico uobis, quod praecinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis) DION, AR. Epist. nona. Insinuant ista communem quandā Sanctorū in diuinis bonis, concordemq; lætitiā, et cōsentientē societatē & ecclesiam primitiuorum qui descripti sunt in cœlis, ac iustorum Spiritus bonis omnibus consumatos, & omnium uirtutum plenos, totiusq; beatitudinis felices. Porro discubitum illum, requiem ex multis laboribus, & inuiolabilem uitam, conuersationemq; diuinam in lumine, ac regione uiuentiū, omni sacra iucunditate repletam, uberrimorum, ac beatissimorum bonorum affluentissimam largitatem significare putamus, per quam lætitiæ totius plenitudo tribuitur. Hoc profecto lætari est auctore Iesu, qui illos & recumbere facit, & illis ministrat, æternamq; requiem donat, ac bonorum omnium largissime distribuit copiam.

¶ Baptisma autem habeo baptizari) GAVD. Serm. de Petro & Paulo. Tres intelligimus natiuitates humano generi ab æterna Trinitate concessas. Vna carnalis est omnium, duæ spiritales sunt pro merito fidei singulorū. Primā, qua creamur ex nihilo in substantiam uitæ mundanæ: Secunda, qua regeneramur in baptismo ex iniquitate, & erroribus ad iustitiæ ueritatem: tertia, qua beatissimi martyres ob confessionem nominis Christi, per tormenta nascuntur ad regnum. Talis forma præcessit in Christo: qui ex uirgine natus, in Iordane nascitur: in crucis patibulo pretiosi cruoris sanguine baptizatur. Nam post illud baptisma, quod pro nobis in Iordane susceperat, per passionem suam dicit Apostolis: Baptisma habeo baptizari. Resurrexit enim ex ipso baptismo passionis ad uitam termino iam nullo claudendam, remeauit ad regnum cuius regni non erit finis.

IN CAPVT. 14.

¶ Sic ergo omnis ex uobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.) MAXIM. Const. de Charitate Cent. secunda. Qui in hac vita diuina prouidentia ad pietatem summa ope contendunt, illi tribus hisce tentationibus probantur. uidelicet aut rerum iucundarum donatione, ut pote sanitatis, pulchritudinis, pulchrorum liberorum, & opum, & gloriæ, & similium. Aut per rerum dolentium, & conturbantium calamitatem, cuiusmodi sunt liberorum præpropera orbitas, atq; etiam opum, & gloriæ amissio. Aut per ea, quæ corpori dolores inducunt, ut sunt morbi, cruciatus, tormenta, & huiusmodi. Et ad priores quidem ita Christus loquitur: Qui non re

nunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Cæterum ad secundos, unà cum tertiis; In patientia uestra possidebitis animas uestras.

IN CAPVT. 15.

¶ Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat) DION. AR. de cœlesti Hierarchia cap. 15. Reliqua nobis ad exponendum est, gaudij cœlestium ordinum ratio: sunt enim illi passiuæ uoluptatis nostræ prorsus ignari: congaudere autem dicuntur Deo in eorum, qui perierant inuentione iuxta congruam sibi diuinam prorsus tranquillitatem, & benignissimam, copiosissimamq; lætitiam, quam de illorum prouidentia, & salute capiunt, qui conuertuntur ad Deum, ac uoluptatem illam prorsus ineffabilem: cuius & sancti uiri sæpenumero participes effecti sunt, cum in eos diuinæ illius, ac deificæ lucis fulgor influeret.

IN CAPVT. 16.

¶ Facite vobis amicos de mammona iniquitatis) ALBIN. præfatione in Ecclesiasten. Idcirco iniquas nominauit huius sæculi diuitias; quia mammona syra est lingua, & latine diuitiæ dici possunt: quia diuitiæ aut per iniquitatem congregantur, uel inique pauperibus subtrahuntur.

¶ Si in alieno fideles non fuistis, quod uestrum est quis dabit uobis?) IDEM supra. Alienæ sunt à nobis huius sæculi facultates, id est extra nostram sitæ naturam. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus. Nostra autem possessio regnum cœlorum, nostra uita Christus est: nostræ opes sunt spiritalium operum fructus.

¶ Et portaretur ab Angelis in sinũ Abrahæ) DION. AR. de Ecclesiastica Hier. cap. septimo. Sinus autem beatorum patriarcharum, reliquorumq; sanctorum omnium (ut reor equidem) sacratissimæ illæ, ac beatissimæ sedes, quæ omnes diuinam effigiem præ se ferentes in sua suscipiunt insensibili, & beatissima requie.

¶ Et in his omnibus inter nos, & uos chaos magnum firmatum est: ut hi qui volunt hinc transire ad uos, non possint, neq; inde huc transmeare) CLAVDIAN. de statu animæ libro tertio, cap. decimo. Animaduertamus non locorum distantiam, sed differentiam meritorum. Cum iusto nanque, quantum ad corpus spectat, localiter esse iniustus potest: iniustus uero cum innocentia iusti, quoadusq; iniustus est, esse non potest. Vnde quia post mortem nec pœnitere cuiquam, nec peccare possibile

est, intar saluatos, & perditos intransmeabile dicitur chaos indemutabilis status.

IN CAPVT. 17.

Sic & uos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite; serui inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus) CHRYSOST. *hom. in illud:* Eleuatum *est cor* Oziæ. Nihil *enim perinde gignit superbiam, ut bona conscientia, nisi aduigilemus.* Vnde *&* Christus, *sciens quod post benefacta nos hic morbus adoritur, dicebat discipulis suis: Cum omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus. Quum enim hæc noxia bestia parat inuadere uos: tunc inquit, per hæc verba fores illi occludite.* Neque *dixit: Quum omnia feceritis, inutiles estis: sed, Vos dicite, inutiles sumus.* Dic: *ne metuas: non ex tuo iudicio fero sententiam.* Nam *si tu te ipsum dixeris inutilem, ego te ut vtilem coronabo.*

Ecce enim regnum Dei *intra uos est.)* ATHAN. *contra gentiles.* Por*ro veritatis via ad eum qui verus* Deus *est diriget: ad eam vero cognoscendam, & exactissime intelligendam, nullius extra nos positæ rei opem necessariam habemus.* Neq; *sicuti* Deus *ipse super omnes est; ita & via quæ ad illum ducit, longe vel extra nos, sed intra nos est, atq; initium à nobis inuenire possibile ducimus.* Quemadmodum *&* Moyses *docuit dicens:* Ver*bum fidei intra cor tuum est.* Quod *&* Saluator *sua auctoritate confirmans,* Regnum, *inquit,* Dei *intra uos est.* FASC. *de* Spiritu *sancto libro secundo cap. octauo.* Et *ideo de* Spiritu *sancto conscriptum recte intelligimus,* Re*gnum* Dei *intra uos est.* Dei *vtiq; regnum sunt, qui ei parere merentur, in templum* Dei *vtiq;, non creaturæ.*

IN CAPVT. 19.

Venit enim filius hominis quærere, & saluũ facere quod perierat) LEO. I. Põt. *Epist.* 22. Impassibilis *igitur* Dei *filius* Deus, *cui cũ* Patre, *et* Spiritu *sancto una incõmutabilis* Trinitatis *essentia, hoc quod est esse perpetuũ est, in ea plenitudine tẽporis, quæ sempiterno cõsilio fuerat pstituta, & prophetica dictorũ, atq; gestorũ significatione pmissa, factus filius hominis non suæ cõuersione substantiæ, sed nostræ assumptione naturæ, uenit quærere, & saluare quod perierat.* Venit *autem non locali accessu, nec motione corporea, tanquã psens futurus unde abfuisset, aut illinc recessurus vnde venisset, sed uenit per hoc quod erat uisibile & cõmune cernentibus declarandus, humanam scilicet*

carnem, atq; animam in uisceribus virginis matris accipiens, ut manens in forma Dei, formam serui sibimet, & similitudinem peccati carnis uniret, per quam non minueret diuina humanis, sed augeret humana diuinis. Talis enim *erat omnium à primis ducta genitoribus causa mortalium, vt originali peccato transeunte per posteros, nullus pœnam damnationis euaderet, nisi* Verbum *caro fieret, & habitaret in nobis, in ea scilicet natura, quæ nostri & sanguinis esset, & generis.*

IN CAPVT. 20.

Forsitan uerebuntur filium meũ) A M B. Episcopus de Fide *lib. quinto cap. octauo.* Secundũ Matthæum autem, *& secundum Marcum.* Quoniã misit Deus *vnicum filiũ suũ dicẽs,* Verebũtur *filiũ meũ.* In uno libro dicit: Forsitan *uerebũtur, et quasi nesciens dubitat: nã hic sermo dubitantis est.* In duobus autẽ *alijs libris:* Verebuntur, *inquit, filium meum. hoc enim confirmat reuerentiam deferendã.* Sed *neq; dubitare* Dei *est, neq; falli.* Dubitat *enim qui ignorat quod futurum est: fallitur autem qui aliud prædixit, & aliud est secutum.* E T *paulo post.* Sed *neq; fallitur* Pater, *neq; fallit* Filius. Verum *ea est in scripturis consuetudo diuinis, sicut & superiora & multa alia exempla testantur, ut* Deus *dissimulet se scire quod nouit.* E T *infra.* Ego *autem ut ad superiora redeam, qui proposuerim scriptum quod* Pater *dixit fortasse reuerebuntur* Filium *meum. quod vtiq; ideo arbitror positum, ut quod de hominibus loquebatur* Pater *humano locutus uideatur affectu: multomagis arbitror* ꝙ Filius, *qui cum hominibus conuersatus est, & hominem egit, & carnem suscepit, nostrũ assumpsit affectum, ut nostra ignoratione nescire se diceret, non* ꝙ *aliquid ipse nesciret.*

IN CAPVT. 21.

Ego enim dabo uobis os, & sapientiam) D I D Y M. *de* Spiritu *sancto libro primo.* Ex *quibus ostenditur sapientiam, quæ discipulis datur à* Filio, Spiritus *sancti esse sapientiam: & doctrinã* Spiritus *sancti,* Domini *esse doctrinã:* Vnumq; *naturæ, & uoluntatis esse consortiũ* Spiritus *sancti cum* Filio.

IN CAPVT. 22.

Intrauit *autem* Satanas *in* Iudam) D I D Y M. *de* Spiritu *sancto libro tertio.* Obseruans *diabolus quibusdam motibus, & operationum signis; ad quæ potissimum* Iudæ *cor esset vitia procliuius, deprehẽdit eum patere insidijs auari*

tiæ: & reperta cupiditatis ianua, misit in mentem eius quomodo desideratam pecuniam acciperet: & per occasionem lucri proditor magistri, & saluatoris sui existeret, argentum proprietate commutans, & suscipiens pretium sceleris à Pharisæis atq; Iudæis. Hæc ergo cogitationis occasio locum tribuit Satanæ, ut in cor eius introiens, impleret eum pessima uoluntate. Introiuit ergo non secundum substantiam, sed secundum operationem. quia introire in aliquem, increatæ naturæ est eius quæ participetur à pluribus. Imparticipabilis ergo diabolus est, nō creator, sed creatura subsistens. Vnde & cōuertibilis, atq; mutabilis è sanctitate decidit, atq; uirtute.

¶ Iuda osculo filium hominis tradis?) CHRYSOST. Epist. ad Rom. hom. 21. (Neq; enim cessabo quin factum illud continuo uersem) quiq; teneriora etiam uerba, quā osculum sit, erga illum locutus est. Neq; enim dicebat, o scelesie, o perdite, o proditor, hanc nobis pro tanto beneficio gratiam rependis? sed quomodo? Iuda, inquit, proprium illius nomen ponens: id quod magis erat miserentis, & reuocantis, quā indignantis, Neq; dixit, Præceptorem tuum, dominum tuum, benefactorem tuum, sed, filium hominis. quasi dicat. Etiam si non esset præceptor tuus, non esset dominus tuus, cum tamen qui tam mansuete, tam candide erga te affectus est, ut & in ipso proditionis articulo te osculetur: idq; cum proditionis ipsius symbolum sit osculum, tradere potes?

IN CAPVT. 23.

¶ Hodie mecum eris in paradiso) AMB. in Psalmum. 37. Dicamus quēadmodum in remunerando præueniat nostram precationem, & doceamus exēplo. Audi illum ex duobus latronem dicentem Domino: Memento mei Domine cum ueneris in regnum tuum. Respondet Dominus. Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Ille adhuc rogabat ut meminisset sui, cum uenisset in regnum: & Dominus cum mundum venißet; ei iam regnum cœleste tribuebat. IDEM. in Psalmum. 39. Quid est, hodie? hoc est. de nocte transistis mecum eris in lumine. noli tenebras formidare, quem æterna lux suscipit. Pulchre etiam subiunxit: Mecum eris in paradiso. hoc est Noli dubitare de carne, & me in carne vidisti: noli timere ne & cadas de paradiso sicut cecidit Adam: sed audi quia mecum eris, quo præsente cadere non possis. Ceciderat caro in paradiso, antequam susciperetur à Christo. Ibi eris susceptus, ubi & ille qui suscepit. IDEM in Psalmum. 118. Serm. octauo. Futurum promittit: sed id quod futurum est vnius diei spatio non patitur protelari. Deniq; potuit dicere: Mecum eris in paradiso, sed addidit, hodie: nec dilatione gratia

minueretur. FAVST. de ratione Fidei. Quasi homo in cruce pendet: quasi Deus in paradisum de cruce Latronem, gestis per omnem mundum lo quentibus, introducit, dicens: Hodie &c.

IN CAPVT. 24.

¶ Palpate, & uidete, quia Spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me uidetis habere.) ATHAN. ad Epictetum Episcopum Corinthiorum. Ex quibus confutari possunt iterum, qui ausi sunt dicere, in carnem, & ossa mutatum esse Dominum. Non enim dixit, sicut me uidetis carnem esse, & ossa, sed habere. Vt non ipsum Verbum in hæc mutatum esse credatur: sed ipse in his & ante mortem, & post resurrectionem esse credatur.

IN IOANNEM.

IN CAPVT. 1.

¶ In principio erat verbum) BAS. de Spiritu sancto. cap. sexto. Ioannes pulchre duabus uocibus cogitationem intra præscriptos terminos reclusit, cum ait: In principio erat verbum. Hæc enim uox, Erat, nullum cogitationi præbet exitum: quemadmodum hæc, Principium, non dat transitum humanæ mentis imaginationi. Quantumuis enim cognitione curras ad anteriora, non excedis, Erat: & quantumuis institeris uidere quæ sint ultra Filium, non poteris tamen superare Principium. AMB. Episcopus de Fide contra Arianos, cap. secundo. Quodcũq; principium Verbi assignare uolueris, præiudicatum habebis, quia in principio, inquit, erat. Non quod duo principia ex rerum diuersitate dicamus, sed quia Sermo Filius semper cum Patre est, & de Patre natus est. Ac proinde cuius origo principium non habet, sempiternus cum Patre credendus est. Quia nec pater potest unquã sine filio nominari, nec filius sine patre uocari. Ac per hoc semper filius, quia semper pater.

¶ Et Verbum erat apud Deum) IDEM. de Incarnatione cap. 3. Sed tamẽ ne quis à Patre diuideret Verbi æternitatem, ut eandem crederemus Verbi esse, quæ Patris est, bonus ille piscator adiunxit: Et Verbum erat apud Deum: hoc est quod dixerat, sic æstimandum est. Erat Verbum quomodo erat Pater: quoniam cum Patre erat, & in Patre erat, & apud Patrem erat semper. Nẽpe quomodo de patre legimus, Erat, ita & de Verbo legimus, Erat.

¶ Quod factum est in ipso uita erat) IDEM in Psalmum. 36. Vnde præclare dixit Euangelista: Quod factum est in ipso uita est. Alexandrini quidẽ, & Aegyptij legunt: Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factũ est nihil, quod factum

quod factum est. Et interposita distinctione, subijciunt: In ipso uita est. Salua sit fidelibus illa distinctio: ego non uereor legere: Quod factum est in ipso, uita est: & nihil habet quod teneat Arianus: quia non illius uenena considero: sed lectionis sacræ consuetudinem recognosco.

¶ *Erat lux uera quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum)* VGO *in Dionysium Areop. de cœlesti Hierarchia cap. primo. Non quia omnes illuminantur, sed quia ex omnibus nemo est qui ex se habeat cur potius q; alter illuminari mereatur. Gratiæ enim illuminatio ista est, non naturæ: donum, non debitum: beneficium largientis, non præmium accipientis. Siue etiã omnem hominem in hunc mundum uenientem hoc lumen illuminat, inquantum omnes naturæ rationis capaces facti sunt, & lumen intelligentiæ perceperunt. Vel omnem hominem venientem in mundum lumen istud illuminat, nõ quia omnes, sicut dictum est illuminãtur, sed quia aliunde illuminari non habent omnes qui uel illuminantur vel non illuminãtur. illuminare enim non est nisi luminis, sicut illuminari non est nisi lumen accipientis. Qua propter sicut omnium est lumen accipere, ita solius luminis est omnes illuminare.*

¶ *Et verbũ caro factũ est et habitauit in nobis)* ATHAN. *ad Epictetũ Episcopũ Corinthiorũ. Quod autẽ à Ioanne dictum est: Verbũ caro factum est: hanc habet intelligẽtiã: sicut similitudine hac poterit inueniri. Scriptũ est. n. à Paulo: Christus pro nobis factus est maledictũ. Et quemadmodũ nõ hoc ipsum factus est maledictũ, sed quia pro nobis assumpsit maledictũ, dictũ est, maledictum factus est; sic et caro factus est, nõ mutatus in carnẽ, sed quia pro nobis carnẽ assumpsit, et factus ẽ homo. Quod autẽ dixit: Verbũ caro factũ est, simile est iterũ dicere, homo factus est; secundum quod dictum est in Iohel. Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Non enim vsq; ad animalia erat promissio, sed in hominibus est, propter quos etiam Dominus ipse homo factus est.* CONC. TOL. II. *In quo mirabili conceptu ædificante sibi sapientia domum, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Nec tamen verbum ipsum ita in carnem conuersum, atq; mutatum est: ut desisteret Deus esse, qui homo esse voluisset: sed ita Verbum caro factum est; ut non tantum ibi sit Verbum Dei & hominis caro, sed etiam rationalis hominis anima: atq; hoc totum & Deus dicatur propter Deum, & homo propter hominem. In quo Dei filio duas credimus esse naturas, unam Diuinitatis, alteram humanitatis: quas ita in se una Christi persona vniuit, ut nec Diuinitas ab humanitate, nec humanitas à Diuinitate possit aliquando seiungi. Vnde perfectus Deus, perfectus & homo in vnitate personæ unus est Christus. Nec tamen quia duas in filio diximus esse naturas, duas causabimur in eo esse personas: ne Trinitati (quod absit) accedere uideatur quaternitas: Deus enim Verbum non accepit personam:*

P

hominis, sed naturam: & in æternum persona Diuinitatis temporalem acceptit substantiam carnis. LIBERAT. In Breuiario Causæ Nestorianorũ & Eutychianorum: cap. octauo. Tunc Paulus Dominico die fecit sermonem in populo pſente Cyrillo, & exposuit capitulum de Euangelio Ioannis. Verbum &c. Conspice, inquit, Ioannem duas naturas prædicantem, & unũ filium. Aliud enim habitaculum, & aliud qui habitat: Aliud enim templum, & aliud qui habitat Deus: Intendite quæ dicta sunt, rogo: non dixi alter & alter, tanquã in duabus personis, aut in duobus Christis, aut in duobus filijs, sed aliud & aliud, & ut in duabus naturis. Quando ergo dixit. Et habitauit in nobis, & prædicauit duas naturas, tunc addidit. Et vidimus &c. Et in sequẽtibus fidem, quam Cyrillo portauerat, differebat aperte prædicans duas in Domino Christo naturas in una persona. Et clamante populo, bene uenisti orthodoxe, mox Cyrillus similia tractauit.

¶ Gloriam quasi unigeniti à patre.) HIER. in Epist. ad Ephesios cap. 5. In vxore autem comparationis aduerbium, sicut, non similitudinem, sed approbationem, & confirmationem cum quodam pondere sonat: quomodo dicimus de uiro, quasi vir fecit: & de Saluatore scriptum est: Vidimus gloriam eius quasi unigeniti. Non quod ipse Saluator gloriam habuerit ad comparationem alterius unigeniti; ipse est enim unigenitus: Et unigenitus, si & alter fuerit, unigenitus non potest appellari. Vnde alterius unigeniti non indigebat exemplo: sed quasi vnigenitum, hoc est, ut semet ipsum decebat gloriam habere, possedit.

¶ Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia)
FVLG. libro primo ad Monimum. Hæc autem vtraq; gratia, id est, & vita bona, & uita æterna, in Christo Iesu Domino nostro est. De plenitudine quippe eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, scilicet gratiam glorificationis æternæ pro gratia iustificationis indebitæ, ut gratia iustificationis omne meritum malum deleat indebito beneficio: & meritum bonum iugi confirmet auxilio, cui gratia glorificationis iustæ reddatur in præmio. Gratia autem etiam ipsa ideo non iniuste dicitur, quia non solum donis suis dona sua reddit, sed quia tantum etiam ibi gratia diuinæ retributionis exuberat, ut in comparabiliter, atq; ineffabiliter omne meritum, quamuis bonæ, & ex Deo datæ humanæ uoluntatis, atq; operationis excedat.

¶ Vnigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit) THEOD. Historiæ Eccles. libro primo cap. quarto. Ex epistola Alexandri Archiepiscopi Alexandrini. Quod autem filius Dei neq; ex nihilo genitus sit, neq; fuerit unquã cum ille non esset, satis instruere nos Ioannes Euangelista poterit, ita scribens de illo. Vnigenitus filius qui est in sinu patris. Volens enim

prudenter docere diuinus magister res duas inseparabiles inter sese, nempe patrem, & Filium, sic est elocutus, ut diceret ipsum esse in sinu patris.

¶ *Hic est de quo dixi: Post me uenit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat)* EPIPH. *hæresi. 59. Ante me igitur fuit, aut factus est, utrūq; enim Græca uoce significatur, inquit, ut ostendat Verbi in terra semper accessum. Et hoc, Prior me erat: ut ostendat Deitatem semper existentem. Illud uero. post me uenit, ut indicet conceptionem post Ioannem.*

¶ *Hic est qui baptizat.)* PETRVS DAM. *de Institutione Ecclesiastica capite secundo. Et tamen Ioannes Euangelista ait. Quanquā Iesus non baptizaret sed discipuli eius. Ecce Dominus non baptizat, & tamen de illo dicitur. Hic est qui baptizat, quia quisquis baptizandi exhibeat ministerium, ille tamen operatur intime Sacramentum.*

IN CAP. 3.

¶ *Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis: sed nescis unde ueniat, aut quo uadat.)* DION. *de Cœlesti Hierarchia cap. 15. Dicet fortasse aliquis hunc aerium Spiritum, qui uentus dicitur, diuinam quoq; cœlestium spirituum præferre speciem: (habet enim & ipse diuinæ actionis imaginem, atq; figuram, sicut in symbolica Theologia iuxta quatuor elementorum expositionem plurimis documentis ostendimus,) secundum naturalem mobilitatem, uimq; animandi, & celerem, insuperabilem discessum, & mobilium principiorum, atq; finium incognitas nobis atq; inuisibiles latebras. Non enim scis, inquit, unde uenit, & quo vadit.* ANS. *de processione Spiritus sancti. De illa quippe processione qua datur uel mittitur, non incongrue Dominum sic dixisse intelligimus: Spiritus ubi uult spirat &c. Sic enim hoc potuisse dici uidetur: Nescis unde procedat, aut quo recedat. Cum enim datur, quasi de occulto uenit, & procedit: cum uero subtrahitur, uelut ad occultum uadit, & recedit.*

¶ *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum.)* CYP. *libro quarto. Epist. septima. An consecuti sunt quidem gratiam Dominicam, sed breuiore, & minore mensura muneris diuini ac Spiritus sancti, ut habeantur quidem Christiani, non sint tamen cæteris adæquandi? Quinimmo Spiritus sanctus non de mensura datur, sed super credentem totus infunditur.* HIER. *in Epist. ad Eph. cap. quarto. Licet Deus Pater super omnia sit, & per omnes, & in omnibus, tamen gratia iuxta mensuram credentibus datur. Non quod ad mensuram Spiritum & gratiam tribuat Deus (magnificentiæ enim eius non est finis) sed quod iuxta mensuram uasculorum infundat liquorem: tantum mune-*

ris largiens, quantum potest cui donatur accipere. Nec enim ad mensurã dat Deus Spiritum, aut potest habere mẽsuram; quod æqualiter ubiq; diffusum est.

IN CAPVT. 4.

℣ Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus &c.) AMB. *de Fide lib. 5. cap. 3.* Deinde quum Samaritana quasi Iudæum appellaret, et prophetã putaret, quasi Iudæus qui spiritaliter mysteria legis doceret, respondit dicens: Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, Et ut ostenderet quod secundum incarnationem responderat; addidit, quod salus ex Iudæis est. Sed statim post hoc sequestrauit hominis affectum dicens: Veniet, inquit, hora, & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt Patrẽ. Non dixit, Adorabimus. Quod utiq; dixisset, si consortium nostri subiret obsequij. IDEM in Epist. ad Rom. cap. primo. Quia enim Deus Spiritus est, Spiritu, uel animo potius debet illi seruiri. Cui enim animo seruitur, ex fide illi seruitur. Hæc & Dominus fatus est ad Samaritanam putantem quod in monte adorari se Deus uelit, dicens: Venit hora, & nunc est, quod ueri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & ueritate. Etenim Pater tales quærit qui adorent eũ. Spiritus est Deus. Adorantes ergo in spiritu, & veritate oportet adorare. Et non locus orationem cõmendat, sed deuotus animus: hoc est in ueritate adorare in Spiritu Deum Spiritum, & Christum unum ex quo omnia, & unum per quem omnia.

IN CAPVT. 5.

℣ Non potest Filius à se facere quicquã, nisi quod uiderit Patrẽ facientem. Quæcũq; enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit) IDAC. *contra Varimadum Arianum.* Si fidem rectam teneres, & non falsi dogmatis prauitate fidẽ Catholicam impugnares, cognosceres Filiũ propria potestate fecisse, quæ Patrem non legimus nisi per Filium perfecisse. Nunquid Pater aquæ elementũ conuertit in uinũ? nunquid Pater nauem conscendit? aut uentis, & flatibus ut quiescerent, imperauit? ET paulo post. Et plura his mirabiliora, quæ dominũ nostrum Iesum fecisse credimus, & credendo cognoscimus, & fatemur. Quoniã qui Paternũ opus exequitur, à paternis operibus alienus esse non creditur. HIER. *in Epist. ad Eph. cap. quinto.* Loquitur & ipse Saluator humilitatem dispensationis ostendens: Quæcunq; enim uiderit Patrem facientem, hæc eadem Filius facit similiter. Non quod aliud cœlum, & aliã terram Pater fecerit, et ad similitudinẽ eorũ aliud cœlũ, & alia terra et elemẽta à Christo facta sint, et cætera, sed quod quæcũq; operetur pater hæc eadẽ et filius operetur.

¶ *Non possum ego à me ipso facere quicquã)* A M B. *in Psalmũ.* 118. *Serm.* 20. *Bonus enim iudex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito uolũtatis, sed iuxta leges, & iura pronunciat: scitis iuris obtemperat, non indulget propriæ uoluntati, nihil paratum, & meditatum domo defert, sed sicut audit, ita iudicat, & sicut se habet negotii natura decernit: obsequitur legibus, non aduersatur: examinat causæ merita, non mutat.* Discite Iudices sæculi, *quẽ in iudicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam sinceritatem.* Dominus *omnium dicit:* Non ego *possum à me facere quicquã.* Alibi lego: Negare *semet ipsum non potest.* Nõ *potest vtiq; non per infirmitatem, sed per integritatem: nõ per impossibilitatẽ faciendi, sed per obseruantiam iudicandi. Quid nõ potest, qui omnia potest, nisi quod posse nolit?* Non *vult posse quod damnat, nõ vult posse aduersus fidem, non uult posse aduersus veritatem.* Audi *postremo cur non posit à se facere quicquã.* Sicut *audio, inquit, iudico. hoc est nõ ex mea potestate decerno quod libitum, sed ex iudicandi religione quod est, & ideo iudicium meum uerum, quia non uoluntati meæ indulgeo, sed æquitati.*

¶ *Non quæro voluntatem meam &c.)* I D E M *infra.* Non *quæro uoluntatẽ meã, hoc est, hominis, quæ uel odio dirigitur, uel studio intenditur, uel gratia inflectitur, uel aliorum mendacio deprauatur: omnis enim homo mendax.* Sed *uoluntatem, inquit, eius qui misit me. hoc est,* Diuinæ *cognitionis formam veni docere, ut in iudicando magis cordi sit ueritatis custodia, quam obedientia uolũtatis.* Nõ *ergo hic quoque infirmitas potentiæ, sed forma est expressa iustitiæ.*

¶ *Si alius uenerit in nomine suo, illum suscipietis)* I D E M *in* Ps. 43. *Significans* Iudæos *in* Antichristum *credituros, qui in* Christum *credere noluerunt.*

IN CAPVT. 6.

¶ *Hoc est opus* Dei, *ut credatis in eum, quem misit ille.)* H I L. P I C T. *de* Trinitate *lib. octauo. Et quis est, quẽ* Pater *misit? nempe quẽ signauit* Deus. *Et quis est, quẽ signauit* Deus? *Filius utiq; hominis, escã scilicet præbens uitæ æternæ. Qui tandẽ sunt, quibus p̃bet eã? Illi nẽpe qui operabuntur escã nõ intereũtẽ, atq; ita quæ operatio escæ est, eadem operatio* Dei *est: in eũ scilicet credidisse quem misit.*

¶ *Si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum)* A L G E R. *de Eucharistia. Et merito. Si enim tanta uis est in cibo, qui nõ uiuit, nec manet, ut labẽtẽ uitã huius tẽporis foueat, et retineat quãdiu* Deo *placuerit, quãto magis* Christus *cibus uiuẽs immortaliter, uitã æternã cõferre credendus est quibus sibi placuerit. Magis. n. credẽdũ est uitã cõferre qui in se habet, et uita est, q̃ qui nõ habet. Cũ. n. sit uia, ueritas, et uita, corpus eius nobis uiaticũ ẽ ne moriamur, et deficiamus in uia, sed perducamur ad uitã. Veritas est, ne eius promissionibus falla*

mur : vita eſt , ut ea in peruentione feliciter fruamur. In *hac ergo mortali uita immortali cibo uitæ nos paſcit,ne in æternum moriamur.*

¶ *Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem vbi erat prius ? Spiritus eſt,qui viuificat , caro non prodeſt quicquã)* PET. CLVNIAC. *libro primo. Epiſt. prima .* Hoc *eſt quia me hominem inter homines uidetis, nihil de me adhuc, quantum ad hoc ſacramentum ſpectat , pluſquã de alio homine ſentire poteſtis. Et ideo carnaliter ſapientes,uelut per fruſta conciſam carnem meam me uobis uelle dare creditis . Sed poſtquã in cœlum aſcendero , poſtquam hanc carnem de qua agitur , adhuc mortalem ,in* Deum *glorificauero , tunc intelli getis , quia ſpiritus eſt qui viuificat . hoc eſt,* Verba *mea ſpiritualiter accepta uiuificant : caro autem non prodeſt quicquã,quia carnaliter .* [illegible]*ecta mortifi= cant .* Dabo *enim carnem meam hominibus non more cadauerum detruncan= dam , minuendam , conſumendam , quia ſic accepta caro mea non prodeſſet quicquam : ſed dabo eam abſq; dolore diuidendam, abſq; diminutione parti= endam , abſq; conſumptione comedendam : quia* Spiritus *eſt qui uiuificat , & quia ſic intellecta , & accepta caro mea , vitam non mortalem , ſed æter= nam percipientibus donat.*

IN CAPVT. 8.

¶ *Adducunt autem* Scribæ, & Phariſæi *mulierem in adulterio cõprehenſam. &c)* AMB. *libro ſeptimo* Epiſt. 58 . *Nam cum adulteram reperiſſent* Iudæi,*obtulerant eam* Saluatori *captantes; ut ſi abſolueret eam , uideretur le= gem ſoluere,qui dixerat :* Non *ueni legem ſoluere , ſed adimplere .* Si *damna= ret , uideretur aduerſus finem ueniſſe propoſiti ſui.* Hoc *igitur præuidens* Do *minus* Ieſus *, inclinato capite ſcribebat in terra .* Quid *ſcribebat niſi illud pro pheticum ?* Terra *terra ſcribe hos uiros abdicatos .* Quod *de* Ieconia *lectum eſt in* Hieremia *propheta .* Et *infra .* Dicit *ei* Ieſus *:* Nec *ego te damnabo : uade: & amodo uide ne peces .* Non *damnat , quaſi redemptio : corrigit quaſi uita: quaſi fons abluit .* Et *quia quando ſe inclinat* Ieſus,*ideo inclinat , ut iacentes eleuet , ideo ait quaſi remiſſio peccatorum :* Neq; *ego te damnabo.*

¶ Quia *ſolus non ſum , ſed ego,& qui miſit me* Pater*)* AMB. *in* Lucam *libro ſecundo cap. primo .* Solus *non eſt , quia ſine* Patre *nunquã eſt .* ET *paulo poſt .* Ergo *nec ſolus immortalis, nec ſolus lucem habitat inacceſſibilẽ.*

¶ *Si vos* Filius *liberauerit , tunc uere liberi eritis)* CONC. ARAVSI CANVM *cap. 13. Arbitrium uoluntatis in primo homine infirmatum, niſi per gratiam baptiſmi non poteſt reparari .* Quod *amiſſum, niſi à quo po= tuit dari,nõ poteſt reddi.* Vnde *ipſa ueritas di cit.* Si *uos* Filius *liberauerit &c.*

¶ Ille fur est, & latro) CONC. TRIBVRIENSE. *cap.* 31. *Vbi quamuis hæreticos, qui fidem furantur Ecclesiæ, designet, tamen insecutione furum, & latronum, turbatam monstrat pacem Ecclesiarum.*

¶ Ego, & Pater unum sumus) HIER. *in Esaiam libro tertio cap. sexto. Vnum, ad naturam referimus: sumus, ad personarum diuersitatem.* AMB. *de Fide libro primo cap. primo. Vnum dixit, ne fiat discretio potestatis: Sumus, addidit, ut Patrem, Filiumq; cognoscas. quo perfectus Pater perfectum Filium genuisse credatur: & Pater, & Filius unum sint non confusione, sed sed vnitate naturæ.* IDEM. *Hexameron libro sexto cap. septimo. Vbi dicit, Ego & Pater, utiq; non una persona est, vbi autem ait, vnum sumus, nulla est discrepantia Diuinitatis, aut operis. Non igitur in utroq; una persona, sed una substantia est. Et bene addidit, sumus, quia semper esse, Diuinum est; ut coæternum credas, quem putabas dissimilem esse. Aeternus est enim Pater, de quo dicit Moyses: Qui est, misit me. Pulchre etiam illud præmisit: Ego, & Pater. Nam si Patrem præmisisset, tu minorem Filium iudicares; sed præmisit Filium, quem non conuenit credi Patre superiorem, adiũxit Patrem, ut aduertas Deum Patrem, & Filium eius ordinis præiudicio non teneri.* VIGIL. *libro secundo contra Eutychem. Dicendo igitur, Ego, & Pater, discreuit, quod Sabellius male confundit: addendo autem, vnũ sumus, uniuit, quod Arius male discernit: ut vnum, ad vnitatem naturæ, sumus, ad distinctionem proficiat personarum. Tale est illud. Baptizate gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: In uno trium nomine unã deitatis insinuans esse naturam.* VICTOR. VTIC. *de persecutione Vandalica libro secundo. Vt adhuc euidentius Patris, & Filij substantiæ unitas, & diuinitatis æqualitas ostendatur, ipse in Euangelio dicit. Ego, & Pater unum sumus. Quod non ad unitatem tantummodo voluntatis, sed ad unam refertur, eandemq; substantiam. Quia non dixit: Ego, & Pater unum uolumus, sed, vnum sumus. Ex eo enim quod sunt, non ex eo tantum quod uolunt, paternæ unitatis declaratur assertio.* FAVSTIN. *de Fide contra Arianos. Tu si uere credis, quod Pater, & Filius vnum sunt uoluntate, non uideo quomodo negare possis, quia & substantia, diuinitate, & potestate unum sunt. Quare enim non una substantia sit, una diuinitas & potestas, quibus una voluntas est? Si enim ex æquo illis voluntas est, ex æquo & diuinitas, si non ex æquo diuinitas, neq; ex æquo voluntas* MAXIM. CONST. *de Charitate Cent. secunda. Quando dicit Dominus, Ego, et Pater unũ sumus, vnitatem essentiæ significat: quando uero rursum dicit: Ego in Patre sum, et*

Pater in me est, indiuisibilem substantiarum communionem indicat. Itaq; qui Filium à Patre segregant, in anceps labuntur præcipitium. Aut enim coæternum Patri Filium affirmantes, segregantes uero illum ab eodem, coguntur dicere è Patre non esse natum, atq; adeo eò adiguntur, ut dicant tres esse Deos, & tria principia. Aut si dixerint è Patre esse natum, cæterum segregantes illum, coguntur dicere Filium Patri non esse coæternum: atq; ita omnium temporum dominum faciunt temporaneum. Nam unus Deus nobis colendus, et seruandus est, & tres substantiæ confitendæ, iuxta doctrinam magni illius Gregorij, & una quæq; peculiari proprietate. Etenim diuiditur, sed indiuisibiliter: copulatur quoq;, uerum diuisibiliter. Atq; ob hoc ipsum ualde noua, & inusitata est & diuisio, & vnitas: posteaquam talem in se complectitur insuetam rationi nouitatem. Quemadmodum enim homo homini unitus est, & segregatus, sic etiam Patri Filius, & nihil plus. CONC. SARDICENSE. in Epistola ad uniuersos Episcopos. Hac gratia eum dixisse contendũt: Ego, & Pater unum sumus, propter concordiam, & vnanimitatem. Sed reprobauimus omnes Catholici intellectum eorum fatuum, & abiectum, sicuti mortalium hominum. Qui quoniam corrumpi cæperunt, offendentes discordare noscuntur, & ad permutationes ascendunt, hoc modo distantiam, & discordiam inter patrem Deum omnipotentem, & Filium esse posse, dicentes, quod absurdum est intelligere, & aliquatenus arbitrari. Nos autem et credimus, et affirmamus, et sic intelligimus, quoniam sacra scriptura sic locuta est: Ego, & Pater unum sumus, propter essentiæ unitatem, quæ est vna, et eadem Patris, et Filij,

IN CAPVT. 11.

¶ Pater gratias ago tibi, quia audisti me, ego autem sciebam quia semper me audis) AMB. de Spiritu sancto lib. 2. cap. 12. Quomodo audiuit Pater Filiũ quũ Filius nihil ad Patrẽ in superioribus de Lazaro sit locutus? Ac ne putares quia semel à Patre auditus est Filius, addidit: Et ego sciebam quia semper me audis. Ergo non subiectæ obedientiæ, sed unitatis auditus est sempiternæ.

¶ Sed ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum.) MAXIM. CONST. de Charitate Cent. quarta. Diuinæ prouidentiæ Scopus est eos, qui uitijs diuersimode diuulsi sunt, per rectam fidem, et spiritalem charitatem adunare. Siquidem ob hoc ipsum Saluator passus est, ut filios Dei dispersos in unum congregaret. Quo circa quicunq; turbulenta non tolerat, neq; molesta patitur, neq; dura, et laboriosa sustinet, extra diuinam charitatem, et scopum prouidentiæ ambulat.

Hæc

IN CAPVT. 12.

¶Hæc dixit Esaias quando vidit gloriam eius) AMB. *de Spiritu sancto lib. 3. cap. 23. Nunc vnitatem maiestatis licet in Patre, Filioq; & sancto Spiritu cognoscere. Nam plerique dicunt Patrem Deum ab Esaia hoc tempore uisum, Paulus spiritum dixit, Lucas probauit, Ioannes Euangelista ad Filium retulit. Sic enim scriptum est de Filio: Hæc locutus est Iesus &c. Ipsa verba dixit Ioannes dixisse Esaiam, & maiestatem ei Filij apparuisse euidentissime reuelauit. Paulus autem Spiritum hæc dixisse memorauit. Vnde igitur ista diuersitas? Diuersitas quidem verborum, non sensuum est. Nam licet diuersa dixerint, nullus errauit: quia & Pater uidetur in Filio, qui dixit: Qui uidet me, uidet & Patrem. Et Filius videtur in Spiritu; quia sicut nemo dicit Dominum Iesum nisi in Spiritu sancto, ita non carnali oculo, sed spiritali gratia Christus uidetur.*

IN CAPVT. 13.

¶Sciens Iesus quia omnia dedit ei Pater in manus) GREG. I. Pont. *in Iob. lib. 3. cap. 12. Ecce in manus persequentium iturus sciebat quod in manu sua ipsos etiam persecutores acceperat. Qui enim omnia accepisse se nouerat, constat quia & ipsos à quibus tenebatur, tenebat: ut ipse à se in vsum pietatis intorqueret, quicquid eorum contra se malitia permissa sæuiret.*

IN CAPVT. 14.

¶In domo Patris mei mansiones multæ sunt) ISAAC *Sermone 22. Multas mansiones Saluator Patris sui uocat mensuras mentium in illa commorantium regione, uidelicet discretiones, & diuersitates, quibus in animo perfruuntur. Non enim differentia locorum, sed ordine charismatum multas fore mansiones expressit. Sicut quilibet materiali sole iuxta sinceritatem uirtutis uisus & gratiæ fruitur, & sicut vna lucerna in una domo lucente fit cuilibet lux diuersa, in splendores plurimos lumine non diuiso, ita in futuro sæculo iusti omnes in vna regione indiuise demorabuntur, quilibet autem ab uno intelligibili sole illustrabitur secundum mensuram suam, & pro meritis trahet gaudium, & lætitiam.*

¶Qui videt me, uidet & Patrem) BASIL. *de Spiritu sancto cap. 8. Nō figurā, non formā (pura est enim ab omni cōpositione diuina natura) sed uidet bonitatem uoluntatis, quæ simul cū essentia currit similis illi, et coæqualis. Quin, ut melius dicam, eadem in Patre, quæ in Filio intelligitur.*

¶ Et ego diligam eum) RADVLFVS in Leuit. libro. 12. cap. primo. Nō ne ipse prior dilexit nos? quomodo ergo iam diligentes nondum diligit, sed dilecturum promittit? Sed hoc est quod dicimus. Tum primum diligere se asserit, cum fructum eis suæ dilectionis ostendit. Nam uelut odio habere existimatur, quandiu quasi inimicos disciplinæ eos rigore persequitur.

¶ Pater maior me est) IOANNES. II. Pont. ad Valerium Episcopū. Filius minor est Patre in assumpti hominis forma; æqualis uero Patri est in Deitatis naturæ substantia: eodem protestante: Ego, & Pater vnum sumus. BEDA in priorem Esdræ libro secundo cap. nono. Maior nanq; humanitate Christi Diuinitas est non solum Patris, sed & ipsius Christi, & Spiritus sancti, quæ una est. FAVSTIN. contra Arianos cap. quarto. Dicamus & nos Patrem maiorem de solo sacramento generationis. Et hunc enim pium sensum nonnulli catholici prosecuti sunt, dicentes Patrem, & Flium eiusdem esse substantiæ, & secundum substantiam alterum altero non esse maiorem. Qualis enim Pater Deus est, talis & Deus Filius est. Nihil enim minus ex se genuit quā ipse est: perfectus enim existens, perfectū genuit: et plenitudo existēs, plenitudinē genuit. Et si ergo quia Deus Deo æqualis est Filius, tamen Filius minor dicitur Patre, quia Filius de Patre sit, Pater autē genuit Filium. Et ideo non dixit: Deus maior me est; sed, Pater maior me est.

¶ Surgite, eamus hinc) HIER. in Ezech. cap. 11. Quodq; dicit: Ascendit gloria de medio ciuitatis, alijs uerbis loquitur Dominus ad discipulos: Surgite, abeamus hinc. Et ad Iudæos: Relinquetur uobis domus uestra deserta. Iosephus quoq; refert auditam vocem in templo Angelorum, & Fortitudinum cœlestium, quæ prius in vrbis præsidio erant: Abeamus ex his sedibus. mirumq; in modum usq; in præsentem diem gloria Domini, quæ deseruit templum, stat super montem Olíueti, & in crucis signo rutilans, spectat templum quondam Iudaicum, in fauillas, & cineres dissolutum.

IN CAPVT. 15.

¶ Iam vos mundi estis propter sermouem, quem locutus sum vobis.) RVPERT. in Matth. cap. 26. Et notandum quod non dixit, propter passionem, uel mortem meam iam uos mundi estis, iam uos amici estis, sed, Propter sermonem, ait, quem locutus sum uobis. Non enim passio, uel mors eius eis alter profuisset, nisi sermo, quem locutus fuerat eis, creditus, uel admixtus fidei fuisset. Quod autem istis dixit, omnibus quoq; sanctis dixit, aut dicere potuit, qui eum expectabant ab origine mundi: Iam uos mundi estis &c. Nam reuera propter eum, quem locutus est eis sermonem legis, & prophetarum, pro-

pter illud quod primum ad Abraham locutus est promissionis verbum de semi ne eius, quod est Christus, propter illum inquam sermonem quia crediderunt, iam ex eo mundi sunt, & mundauit eos ipsa passio eius, quæ tunc agebatur, ipse sanguis eius, cuius effusio nocte illa parabatur.

¶ Sine me nihil potestis facere) CONC. MILEVIT. Can. quinto. Itē placuit, ut quicunq; dixerit, ideo nobis gratiam iustificationis dari, ut quod facere per liberum iubemur arbitrium; facilius possimus implere per gratiam, tanquam & si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiā sine illa implere diuina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandato rum Dominus loquebatur, ubi non ait: Sine me difficilius potestis facere, sed ait: sine me nihil potestis facere.

¶ Quum autem uenerit Paracletus, quem ego mittam nobis à Patre Spiritum ueritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.) DID. de Spiritu sancto libro secundo. Consolatorem autem uenientem Spiritum san ctum dicit, ab operatione ei nomen imponens. Quia non solum consolatur eos quos se dignos reperit, & ab omni tristitia, & perturbatione reddit alienos, uerum incredibile quoddam gaudium, & hilaritatem eis tribuit; in tantum, ut possit quis Deo gratias referens, quod tali hospite dignus habeatur, dicere: De disti lætitiam in corde meo. Sempiterna quippe lætitia in eorum corde versa tur, quorum Spiritus sanctus habitator est. Iste Spiritus sanctus consolator à Fi lio mittitur, non secundum Angelorum, aut Prophetarum, aut Apostolorum ministerium, sed ut mitti decet à sapientia & Veritate Spiritum Dei, indiui sam habentem cum eadem sapientia, & Veritate naturam. ET infra. Et pulchre, Qui de Patre, inquit, egreditur. Cum enim dicere posset, De Deo, siue, De Domino, siue, De omnipotente, nihil eorum tetigit, sed ait De Patre: non quod Pater à Deo omnipotente sit alius, quia hoc scelus est etiam cogita re, sed secundum proprietatem, & intellectum parentis, egredi ab eo dicitur Spiritus Veritatis. licet enim ex Deo frequenter se dicat exisse Saluator, pro prietatem tamen, &, ut ita dicam, familiaritatem, de qua iam sæpe tracta uimus, ex uocabulo magis sibi Patris assumit, dicens: Ego in Patre, & pater in me. Et alibi: Ego, & Pater unum sumus. Et multa alia his similia quæ in Euangelio obseruans lector inueniet. Iste ergo Spiritus sanctus, qui de pa tre egreditur, Testificabitur, inquit Dominus, de me. testimonium simile fe rens ei patris testimonio, de quo ait: Testimonium dicit de me, qui misit me. ANSEL. de processione Spiritus sancti. Si autem quæritur, cum Do minus dixit: Cum uenerit Paracletus Spiritus ueritatis qui à Patre procedit, cur non addidit, Et à Filio, uel, A me, si sic uoluit intelligi? Non est hoc in usitatum in dictis illius, ut cum attribuit aliquid Patri, quasi soli, uel sibi, uel

Spiritui ſancto, uelit in alijs intelligi quod de uno loquitur. Nam cum dicit: Beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt, nonne ipſe Filius, & Spiritus ſanctus intelligendus eſt reuelaſſe cum Patre?

IN CAPVT. 16.

¶ Arguet mundũ de peccato, et de iuſtitia, et de iudicio &c.) MARIVS VICTORINVS aduerſus Arium libro 3. De peccato, inquit, quoniã in me non credunt, uel quod uita ſit Chriſtus, uel quod Dei filius, et à Deo miſſus, et qui peccata dimittat. De iuſtitia autẽ, quoniam ad Patrẽ pergo. Tot enim in myſterio paſsionis, quia fidẽ mandatorũ ſeruauit, & impleuit. Quippe cũ, cũ dixerit aliud uellet: Fiat uoluntas tua. Itemq; quia monitos derelinquens, iam non ita uidendus relinquebat, iuſtitiæ fuit his actis omnibus ire ad Patrem, nec ire ad patrem tantum, ſed cum illo iam eſſe. Nam iccirco dicitur: Sedet ad dexteram Patris. De iudicio, quoniam princeps huius mundi iudicatus eſt. Myſterio enim Crucis omnes aduerſæ Chriſto ab eodem Chriſto triumphatæ ſunt poteſtates.

¶ Sed non poteſtis portare modo: cum autem uenerit ille ſpiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem) DID. de Spiritu ſancto. Adhuc enim typo legis, & umbræ, & imaginibus ſeruientes, non poterant ueritatem, cuius umbrã lex portabat, inſpicere: unde nec ſpiritualia ſuſtinere. Cum autem, ait, uenerit ille, hoc eſt, Paracletus Spiritus ueritatis, diriget uos in omnem ueritatẽ, ſua doctrina, & inſtitutione vos transferens à morte literæ ad Spiritum uiuificantem, in quo ſolo omnis ſcripturæ ueritas poſita eſt. Ipſe ergo Spiritus ueritatis ingrediens puram, & ſimplicem mentem, ſignabit in uobis ſcientiam ueritatis: et ſemper noua ueteribus adiungẽs, diriget uos in omnem ueritatem.

¶ Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcũq; audiet, loquetur.) AMB. de Spiritu ſancto lib. 2. cap. 12. Non enim loquitur à ſe, hoc eſt, non ſine mea, & patris communione. Neq; enim diuiſus, ac ſeparatus eſt Spiritus, ſed quæ audit loquitur: audit uidelicet per unitatem ſubſtantiæ, & proprietatem ſciẽtiæ. DIDYM. de Spiritu ſancto. Hoc eſt, non ſine me, & ſine meo, & patris arbitrio, quia inſeparabilis à mea, & patris eſt uoluntate, quia non ex ſe eſt, ſed ex patre, & me eſt. hoc enim ipſum quod ſubſiſtit, & loquitur: à Patre, & me illi eſt. Ego ueritatem loquor, id eſt, inſpiro quæ loquitur; Siquidem Spiritus ueritatis eſt. Dicere autem, & loqui in Trinitate, nõ ſecũdũ conſuetudinem noſtram, qua ad nos inuicẽ ſermocinamur, & loquimur, accipiendum, ſed iuxta formam incorporalium naturarum, & maxime Tri-

nitatis, quæ uoluntatem suam inserit in corda credentium, & eorum qui eam audire sunt digni, hoc est, dicere, & loqui.

¶ Ille de meo accipiet, & annunciabit uobis) ANSELM. *de processione Spiritus sancti, Quippe quid ē aliud hoc dicere: quā à me audiet, hoc ē à me sciet quod annunciabit nobis? Cum dixit, Quæcūq; audiet, loquetur, non determinauit à quo audiet: cum uero ait*, De *meo accipiet, ne quis soli patri attribuat, quod ab alio audit, aperte se esse, à quo sicut à* Patre *scientiam, siue essentiam accipiat, demonstrat.*

IN CAPVT. 17.

¶ Hæc est autem uita æterna, ut cognoscant te solum Deum *uerum, & quē misisti* Iesum Christum*)* AMB. *de Fide lib. 5. cap. 2. Coniunctio illa* Patrem *utiq; copulauit, &* Filium, *ut Christum uerum* Deum *à maiestate patris nemo secernat, nunquā enim cōiunctio separat. Et ideo dicēdo: ut cognoscant te &c. &* Subellianos *interfecit, &* Iudæos *exclusit, eos utiq; qui audirent loquentem: Ne aut illi eundem* Patrem *putarent esse, quem* Filium, *si non addidisset,* Et *Christum: aut isti in patre* Filium *separarent. Quæro autem cur nō sic putent subaudiendum, & ex superioribus colligendum: ut quod præmisit, solum uerum* Deum Patrem, *subaudiamus etiam* Iesum Christum *solum uerum* Deum. *Exprimendum enim alterum non fuit, ne duos* Deos *dicere uideretur.* ANS. *de processione* Spiritus *sancti. Cum dicitur, cognoscere solum uerum* Deum Patrem, *&* Filium *esse uitam æternam: inseparabiliter intelligendus est in illa cognitione* Spiritus *sanctus.*

¶ Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi.) THEOPHYL. *in* Abacuch *cap. 2. Prædicit autem uenturam etiam per Christum super uniuersum terrarum orbem cognitionem* Dei, *itidem ut ipse* Dominus *ad* Patrem *inquit: Manifestaui nomen tuum hominibus.* Prius *enim solis* Hebræis *cognitus erat; neq; illis interim ut pater filij, neq; ut productor* Spiritus, *uerum simpliciter ueluti* Deus, *& auctor uniuersorum, per Christum autem cunctis mortalibus manifestatus est, etiam ad ultimos usq; orbis terræ fines: per etiam perfectam gloriam, tanquā filij, & spiritus principium.*

¶ Et *mea omnia tua sunt, & tua mea sunt)* BAS. *de* Spiritu *sancto cap. 8.* Mea *tua sunt: tanquā ab ipso rerum conditarum origo referēda sit,* Et *tua mea, quod ipsi à* Patre *cōdendi auctoritas prouenit.* Non *quod pater ad operādū* Filij *auxilio sit usus, neq; quod ipsi particularibus mādatis uniuscuiusq; operis ministeriū commissum sit (nā istud quidem seruile est, et a* Diuina *dignitate immēso semotū interuallo) sed quod uerbū plenum paternis bonis à patre resplēdēs,*

omnia facit ad similitudinem eius qui ipsum genuit. nam si iuxta essentiã nihil differt à Patre, nec potentia à patre differt.

¶ *Vt sint unum, sicut & nos vnum sumus.*) CONC. LATER. *sub Innocentio tertio cap. secũdo. Qum ergo Veritas pro fidelibus suis ad Patrem orat, Volo, inquiens, ut ipsi sint unum in nobis, sicut & nos unum sumus, hoc nomen, unum pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio Charitatis in gratia, pro personis uero Diuinis, ut attendatur identitatis in natura vnitas: quemadmodum veritas alibi ait: Estote perfecti sicut & pater uester cælestis perfectus est, perfectione naturæ, utroq; uidelicet suo modo. quia inter creatorem, & creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda.*

IN CAPVT. 18.

¶ *Quem quæritis?*) CHRYSOST. *hom. prima de Lazaro. Sed Deus præscius & hoc euenturum non hoc tantum, uerũ etiam aliud hoc multo maius effecit, quum gladijs & fustibus armati manus in ipsum pararent inijcere, tum illos omnes excæcauit. id enim declarauit quum diceret: Quem quæritis? Qu um enim Iudas frequẽter dixisset: Quid uultis mihi dare, & ego vobis tradam eum? ille uolens etiam ipsis Iudæis facere fidem, quod volens ad mortem iret: nec Iudæ malitia victus huc adigi potuerit, ipso proditore cum cœteris omnibus astante, Quem, inquit, quæritis? Ita ne non nouit quem erat proditurus? Sed Dominus obcæcarat illius oculos, nec id solum, uerum etiam omnes hac uoce resupinatos deiecit in terram.*

IN CAPVT. 19.

¶ *Sed unus militum lancea latus aperuit: & cõtinuo exiuit sanguis, et aqua*) ANGELOM. *in 3. Regum Cap. sexto. Et bene in parte domus dextræ, quia dextrum eius latus à milite apertum sancta credit Ecclesia, ubi apto etiã uerbo usus est Euangelista: ut non diceret, Percussit latus eius, aut uulnerauit, sed, Aperuit uidelicet quasi ostium lateris medij; per quod nobis iter ad cœlestia panderetur. Deniq; ita subiunxit; Et continuo exiuit sanguinis, & aqua. aqua scilicet, qua abluimur in baptismo, & sanguinis, quo consecramur in calice sancto.*

IN CAPVT. 20.

¶ *Insufflauit;*) ANSELM. *de processione Spiritus sancti. Quid sibi uult*

ista insufflatio? scimus enim quia flatus ille qui de ore eius tunc processit, non erat Spiritus sanctus: Non ergo credimus illam insufflatione sine aliquo mysterio factum esse. Quid igitur rectius hic intelligi potest, aut apertius, quā hoc ideo illum fecisse, ut intelligeremus Spiritum sanctum de illo procedere? ac si diceret. Sicut videtis hunc flatum, per quem uobis Spiritum sanctum, sicut sensibilibus insensibilia significari queant, significo de intimo corporis mei, & de persona mea procedere, ita scitote Spiritum sanctum, quem uobis per hunc flatum significo, de secreto Deitatis meæ, & de mea persona procedere.

¶ Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt) EVTYCHIANVS. I. Pont. Epist. secunda. Quibus enim regnum Dei excluditur, procul dubio & Ecclesia denegatur. De quibus Dominus in Euangelio, potestatem Apostolorum, eorumq; successorum annunciās ait: Quorum remiseritis peccata &c. id est, Quibus Ecclesiam interdixeritis, nisi reconciliati per satisfactionem fuerint, ipsis etiam ianua regni cœlestis clausa erit. LEO I. Pont. Epist. 59. Sed ut quoquomodo instruatur ambiguitas consulentis, quid de pœnitentium statu Ecclesiastica habeat regula non tacebo. Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes uitæ reparetur æternæ. ut qui regenerationis donum violassent, proprio se iudicio condemnantes ad remissionem criminum peruenirēt. sic Diuinæ bonitatis præsidijs ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei, & humanum homo Christus Iesus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus satisfactionem pœnitentiæ darent; & eadem salubri satisfactione purgatos ad communionē sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Cui utiq; operi incessabiliter ipse Saluator interuenit: nec unquā ab his abest quæ ministris suis exequenda commisit, dicens: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consumationem sæculi. ut si quid per seruitutem nostram bono ordine, & grato impletur effectu, non ambigamus per Spiritum sanctum nobis fuisse donatum.

¶ Dominus meus, & Deus meus) AMB. in Ps. 43. Dominus, quia redemit seruulos suos: Deus, quia non solum resurrexit, sed etiā ipse se suscitauit.

IN CAPVT. 21.

¶ Si sic eum uolo donec ueniam, quid ad te?) OECVM. in Epist. Iacobi cap. septimo. Dicit autem Romanorum insultum, & Iudæorum sub his captiuitatem, quam etiam aduentum Domini uocat, quemadmodum & Ioannes qui super pectus Domini recubuit, quum de suo loquitur interitu ipsum Domi-

num inducit dicentem: Si eum velim manere donec ueniam . Etenim huic pro-rogatum est tempus huius uitæ vsq; ad captiuitatem Hierosolymorum, & paulo vltra illud tempus . Quodq; Domini aduentus & in hoc loco, & in Ioanne sit euersio Hierusalem , manifestum etiam est à Propheta qui ait ; Ecce Dominus ueniet, et quis sustinebit diem ingressus eius ? ut pote Domini aduentu ferē te aduersus impios supplicium . Sed & Ioannes Chrysostomus in quadam narratione sua hoc idem, Donec ueniam , explicans. Hoc dictum, inquit, significare vult omnimodam euersionem Hierusalem . idq; confirmat ab oratione triū puerorum dicentium: Ita fiat coram te hostia nostra hodie, & perficiatur post te . Ait enim: Quid sibi uult, Post te? quando transierit furor tuus. Et quando aduenit ? quando Nabuchodonosor excidit Hierosolyma. EVSEB. *Ecclesiasticæ historiæ lib. sexto cap. 31. Igitur quia de uitæ exitu Petri uel Pauli iam in superioribus explanauimus, sed & tempus Ioannis quo uita excessit ex parte iam diximus, nunc etiam de loco quietis eius secundum fidem Polycratis Ephesij episcopi edocere conueniens puto . Hic etenim Polycrates Victori episcopo vrbis Romæ scribens & ipsius, & Philippi Apostoli, ac filiarū eius pariter meminit dicens : Sicut iam superius inseruimus , quod magna lumina in Asiæ partibus dormierunt , quæ resuscitabit Dominus in nouissimo die aduentus sui cum ueniet in gloria , & requiret omnes sanctos suos . Dico autem de Philippo , inquit , qui fuit unus ex Apostolis, qui dormiuit apud Hieropolim. Sed et duæ eius filiæ inibi virgines cōsenuere, & alia eius filia Spiritu sancto repleta permansit apud Ephesum. Et Ioannes ille qui supra pectus Domini recumbebat, qui fuit sacerdos Dei, pontificalem laminam gestans, & martyr, & doctor optimus apud Ephesum dormiuit.* PETRVS DAM. *Sermone secundo de Excellentia beati Ioannis Euangelistæ. Qui enim Petrum uolui secū in Crucis patibulo triumphare, ipse decreuit Ioannem in Ecclesiastica pace quiescere: quatenus migraret et ille subcūdi martyrij pberet exēplū, et iste erecta supra fundamētū fidei Ecclesiæ fabrica quietus ad cœlū . Ille secuturis Martyribus fuit cōstātiæ forma, iste nouiter in fide plātatis extitit moruatq; virtuū Spiritualium disciplina. sic cum uolo manere donec ueniā . Veniā, inquit, ut eum uinculo carnis absoluam . Veniam , ut eum ad gloriæ meæ consortiū trāsferam . Veniam ut laboribus eius dignæ remunerationis præmium reddam.*

IDEM *paulo infra . Enotandū quā affectose , quā pie, quā paterne , quam amabillime saluator sic in quit eū volo manere donec veniā . Veniam, inquit, non mittam. Non mittam uidelicet aliquam supernam Virtutem , non Angeli eū potestatem, quæ huius ministerij mihi fungatur officio, quæ obedientiæ huius exequatur affectū . Ipse per meipsum ueniā : ipse egredietē eius animā in gloriæ meæ claritate suscipiam; quam et in carne manentē diuinitus, illustrabā,*

CAPVT. I.

¶ *Non est uestrum noße tempora, uel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate)* AMB. de Fide lib. quinto cap. octauo. *Vestrum dixit, non, Meum. iam enim non secundum perfectionem, sed secundũ profectũ humani corporis, ac nostræ animæ loquebatur. Vestrum ergo dixit, non, Meum. Quod est Apostolus secutus, De tẽporibus autẽ, et momentis Fratres nõ habetis, inquit, opus ut vobis scribamus. Itaq; ne Apostolus quidem ipse Christi seruus dixit se nescire momenta, sed non opus esse edoceri populum qui semper spiritalibus monimẽtis debet esse armatus.* CASSIOD. in Ps. 9. *Non enim dixit, Nõ est meum, vel, Non est nostrũ, sed ait, Non est uestrum scire. Sic utrunq; seruatum est: ut & homines ignorarent, quæ illos non oportebat agnoscere: & hoc Dei Filius nequaquã carnis infirmitate non sciret. Quod si maiestatem illam (quod dici nefas est) texisse ignorantiã suspicemur, fortior vtique inueniretur ignorantia, quã Diuina natura: quæ (ut stulte dicam) opprimere ualuit prouidentiã per quam omnia sunt creata. Sed cum hæc nimis videantur absurda, credere dignum est totam Trinitatem, cui una, atq; omnipotens natura est, omnium rerum indefectam semper habere notitiam.*

¶ *Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Mathiam)* DION. AR. de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 5. *Porro de sorte illa Diuina, quæ Mathiæ Diuinitus obtigit, alij quidem alia sensere, meo iudicio, non recte: aperiam autem & ipse quid sentiam. Videtur mihi Scriptura sortem appellasse Diuini quiddam, & præcipui muneris, per quod illi choro sacratissimo insinuaretur, qui esset Diuina electione declaratus. Oportet enim Pontificem sanctum nõ motu proprio sacerdotales ordinationes conficere, sed sub Deo agente has pontificaliter, cœlestiq; celebrare munditia.*

IN CAPVT. 2.

¶ *Baptizetur unusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi in remisionem peccatorũ uestrorũ)* CYP. ad Iubaianũ. *Alia enim fuit Iudæorũ sub Apostolis ratio, alia ẽ gẽtiliũ cõditio. Illi qui iã legis, et Moysi antiquisimũ baptisma fuerãt adepti, in nomine quoq; Iesu Christi erant baptizãdi, secũdum quod in Actibus Apostolorũ Petrus loquitur, et dicit. Pœnitemini, & baptizetur unusquisq; uestrũ. etc. Iesu Christi mentionem facit Petrus non quasi Pater omitteretur, sed ut patri quoq; filius adiũgeretur. Deniq; ubi post resurrectionẽ Domini Apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizari gentiles iubentur.*

¶ *Saluamini à generatione ista praua*) R V P. *in Iohel. cap. 2. Venturos quippe Romanos, futurumq; illius prauæ generationis excidium significabat, ut agentes pœnitentiam, non solum remissionem peccatorum, et uitam futuram, sed etiam saluationem præsentem sibi acquirerent: ut præsentia quoq; mala mererentur euadere uenientia super generationem illam. quod & factum est. Imminente nanq; excidio, diuinitus admoniti sunt fideles, ut exirent, atq; ita saluati sunt à generatione illa: sicut saluatus est Loth ab incendio Sodomorum: nullusq; cum illis conclusus, uel obsessus est Christianorum.*

IN CAPVT. 4.

¶ *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia*) D I D. *libro primo de Spiritu sancto. Quomodo enim qui aliqua disciplina plenus est, quia perfecte eã habet, erudit, & subtiliter potest de ea proferre sermonẽ: sic qui Spiritũ sanctũ consumate acceperint, ita ut impleantur eo, cũ fiducia uerbũ Dei loquuntur: quia præsens Spiritus sanctus dignã Deo uocem ministrat.*

IN CAPVT. 5.

¶ *Non es mentitus hominibus, sed Deo*) I D E M. *libro secundo. Si enim qui Domino mentitur Spiritui sancto, & qui Spiritui sancto mentitur, mentitur Deo, nulli dubium est consortium Spiritus sancti esse cum Deo. Et quomodo sanctitas subsistit in Deo, eodem modo & Deitas intelligitur in Spiritu sancto.*

IN CAPVT. 6.

¶ *Considerate ergo fratres uiros ex vobis boni testimonij septem &c.*) V I. S Y N. C O N S T. *Can. 16. Quoniam Actorum liber septem Diaconos ab Apostolis constitutos esse tradit, & Neocæsariensis Synodus in Canonibus suis sic aperte disseruit, quod septem debent esse Diaconi &c. Nos quum dicto Apostolico mentem nostram adaptassemus, inuenimus eos esse locutos non de uiris qui ministrant mysterijs, sed de ministerio quod in usu mensarum adhibebatur: cum liber Actorum sic habeat. Cum discipulorum multitudo &c. Quod & accepimus à Ioanne Chrysostomo sic hæc verba interpretante in cõmentarijs in Acta Apostolorũ Cap. 6.*

IN CAPVT. 9.

¶ Et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.) IOANN. CASSIAN. collatione secunda cap. 15. Saulum quoq; per semet ipsum uocans, & alloquens Christus, cum posset ei perfectionis uiam reserare confestim, nequaquam facit: sed dirigit illum ad Ananiam: & ab eo iubet uiam veritatis agnoscere; dicens: Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi tibi dicetur quid te oporteat facere. Mittit itaq; & hunc ad seniorem, eumq; illius potius doctrina, quam sua censet institui: ne scilicet quod recte gestum fuisset in Paulo, posteris malum præsumptionis præberet exemplum: dum vnusquisq; sibimet persuaderet, simili modo se quoq; debere Dei solius magisterio atq; doctrina potius, quam seniorum institutione formari.

IN CAPVT. 15.

¶ Visum est Spiritui sancto) AMB. de Spiritu sancto libro secundo cap. 12. Et quum dicunt, Visum, non solum operatorem gratiæ, sed etiam auctorem imperatæ executionis ostendunt. Sicut enim de Deo legimus, Placuit Deo, ita etiam cum dicitur, quia, Visum est Spiritui sancto, arbiter suæ exprimitur potestatis. Et quomodo non arbiter? qui ea quæ uult loquitur, quæ uult mādat.

IN CAPVT. 28.

¶ Bene Spiritus sanctus locutus est per Esaiam prophetam ad Patres nostros) DID. de Spiritu sancto libro secundo. Hanc igitur prophetiam quam Apostolus Paulus affirmat à Spiritu sancto pronunciatam, ipse liber prophetæ à Domino dictam esse commemorat. Et audiui, inquit Esaias, uocem Domini dicentem: Quem mittam? & quis ibit ad populum istum? Et dixi: Ecce ego: mitte me. Vade, inquit, & dic populo huic: Aure audietis. Et post alia ipse Dominus ait: Et conuertentur, & sanabo illos, Et statim propheta: Quo usq; Domine? Quum enim Dominus ad prophetam dixisset, ut ea quæ scripta sunt diceret, & propheta iubenti Domino respondisset, Vsque quo Domine? ea, quæ in propheta à Domino dicta sunt, in Spiritu sancto commemorata Paulus affirmat. Ex quo liquido ostenditur, ut sæpe iam diximus, unam et uoluntatem, & naturam Domini esse, & Spiritus sancti: & in nuncupatione Spiritus, etiam nomen Domini intelligi. Quomodo enim ad Corinthios uocabulum Dei super Patre positum, & Domini super Filio, neq; Patri aufert dominationem, neq; Filio deitatem, sic quidem eadem ratione qua Pater, Do-

nus est, & Filius Deus est, sic & Spiritus Sanctus Dominus nuncupatur: si au tem Dominus, consequenter & Deus.

IN EPISTOLAS PAVLI APOSTOLI IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

IN CAPVT. 1.

¶ *Græcis, ac Barbaris, sapientibus, & insipientibus debitor sum*) EPIPH. *hæresi octaua. Hoc est ab Adam, usq; ad Noe Barbarismus: à Noe, usq; ad turrim, & Seruch post duas generationes Scythica superstitio: & postea à turre, & Seruch, & Arã usq; ad Abrahã, Græcismus: ab hoc et successori bus in pietatis studio ipsi Abrahã coniunctis, à semine eius per successionẽ, hoc est à Iuda, Iudaismus. Cuius rei testimonium mihi præbet Spiritu plenus, & sanctus Dei Apostolus Paulus, sic dicens: In Christo Iesu non Barbarus, non Scytha, non Græcus, non Iudæus, sed noua creatio. Nam ab initio, quum crea ta esset creatura, & noua esset, nullum aliud nomen habebat. Cum his conuenit rursus id, quod in alio loco dicit: Debitor sum Græcis, ac Barbaris, sapiẽtibus, & stolidis. Vbi sapientes quidem appellat Iudæos, stolidos vero Scythas.*

¶ *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, cõ spiciuntur*) MINVT. *At enim quem colimus Deum, nec ostendimus, nec ui demus: immo ex hoc Deum credimus, quod eum sentire possumus, uidere non possumus. In operibus enim eius, & in mundi omnibus motibus uirtutem eius semper præsentem aspicimus: quum tonat, fulgurat, fulminat, quum serenat. Nec mireris si Deum non uides, uento, & flatibus omnia impelluntur, vibran tur, agitantur, & sub oculis tamen non uenit uentus, & flatus. Solem adeo, qui videndi omnibus causa est, uidere non possumus: radijs acies summouetur, ob tutus intuentis hebetatur: & si diutius inspicias, omnis uisus extinguitur. Quid ipsum Solis artificem, illum luminis fontem possis sustinere? cum te ab eius ful goribus auertas, à fulminibus abscondas? Deum oculis carnalibus uis uidere, cum ipsam animam tuam, qua uiuificaris, & loqueris, nec aspicere possis, nec tenere?*

¶ *Sempiterna quoq; eius uirtus, & diuinitas*) AMB. *de Spiritu sancto libro tertio cap. secundo. Quorum aliud de Filio, aliud de spiritu sancto dictum uide. Vt quemadmodum sempiterna virtus Patris dicitur Filius, ita etiam Spi ritus qui Diuinus est, sempiterna diuinitas esse credatur. Nam & Filius quia semper viuit, uita sempiterna est.*

¶ *Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ*) OLYMP. *in Ecclesiasten cap. sexto. Non quod Deus ipse quenquã hominum cogat auaritiam, intempe*

rantiam ue sectari, sed quod ea permittat; quæ homines electione liberæ uolũtatis aggrediuntur, dum liberi arbitrij naturam, facultatemq; conseruant.

IN CAPVT. 5.

¶ Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum) CLAVDIAN. *de statu animæ libro secundo cap. sexto. Sicut incorporaliter cuncta supereminens vnitas præcellentissimæ Trinitatis mensura est, ut aiunt, sine mensura, & pondus sine pondere, & numerus sine numero. Pondus ergo quo hæc eadem secum ineffabiliter vnum sunt, Charitas est Patris, & Filij, quoniam Spiritum sanctum Apostolus proprie insinuans, Charitas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis: Euidenter ostendens isto pondere, Diuina scilicet Charitate, illum ineffabilem numerum, illamq; mensuram illò stabiliter ferri, quò tale pondus accesserit.*

¶ Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit &c.) CONC. AFRICANVM. *cap. 77. Item placuit ut quicunq; paruulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorũ eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lauacro regenerationis expietur, unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non uera sed falsa intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus: Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit &c. nisi quemadmodum Ecclesia catholica vbiq; diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei etiam paruuli, qui nihil peccatorum in se ipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem ueraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.* CONC. ARAVSICANVM. *cap. secundo. Si quis soli Adæ præuaricationem suam, et non eius propagini asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, iniustitiam Deo dabit, contradicẽs Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum &c.*

IN CAPVT. 6.

¶ Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel, quod autem uiuit, uiuit Deo) AMB. *in Ps. 118. Serm 18. Audis quid dixerit hodie Apostolus? Peccato, inquit, mortuus est semel. semel tibi peccatori mortuus*

est Christus. Noli iterum peccare post baptismum. Omnibus in commune semel mortuus est, & singulis semel moritur, non frequenter.

IN CAPVT. 8.

Quis nos separabit à charitate christi?) THALASS. *Centuria tertia de Charitate. Robur animæ est habitus Virtutis difficile mobilis, & immobilis, quem assecutus dicat cum inuicto Paulo, Quis nos separabit &c.*

IN CAPVT. 9.

Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus Benedictus in sæcula) PROCL. *Epistola de Fide. Dixit enim Christum, ut ostẽderet, quod secundum veritatem Deus factus est homo. Dixit eum ex Iudæis secundum carnem, ut insinuaret, quia non tantum ex illo tempore, quo est incarnatus, existit. Dixit eum qui est, ut eum qui est sine principio, intonaret. Dixit eum super omnia, ut totius creaturæ dominum prædicaret. Dixit illum Deum, ne passionibus, habituq; decepti, naturam illius ab omni pernicie liberam negaremus. Dixit eum benedictum, ut illum tanquã omnipotentem adoraremus, nec ut conseruum calumnijs afficeremus. Dixit illum in sæcula, ut ostenderet, quod ille, qui hos verbo creauit, in sempiternum in illis Theologice explicatur.*

IN CAPVT. 10.

Ergo fides ex auditu, auditus vero per verbum Christi) ANSELM. *libro de Concordia præscientiæ, & prædestinationis Dei. Quod autem dicit, fidem esse ex auditu, intelligendum est, quia fides est ex hoc, quod concipit mens per auditum: neq; ita vt sola conceptio mentis faciat fidem in homine, sed quia fides esse nequit sine conceptione. Addita nanq; rectitudine uolendi cõceptioni, per gratiam fit fides, quia credit quod audit. Auditus autem est per est per uerbum Christi, hoc est, per uerbum prædicantium Christum.*

IN EPISTOLAM PRIOREM AD CORINTHIOS.

IN CAP. I.

Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum) DION. AR. *Epist. 7. Verũ et ipse Apollophanes diuinis aduersus diuina nefarie utitur. Nam per hanc rerum scientiam, quæ ab ipso Philosophia rite no-*

minatur, & à Paulo beatissimo sapientia Dei appellatur, ad auctorem omnium, & eiusmodi quoq; scientiæ parentem oportebat uiros philosophos subuehi.

¶ Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus) IDEM *de diuinis nominibus cap. septimo. Non enim solum est sapientiæ exuberans* Deus, & *sapientiæ eius non est numerus, sed & supra sermonem omnem, & mentē, & sapientiam locatus eminet. Intellexit hoc mirabiliter profecto diuinus uir communis noster, nostriq; præceptoris Sol, qui stultum Dei sapientius hominibus dixit. Non modo quia humana mens omnis firmitati, & stabilitati diuinarum, exactissimarumq; intelligentiarum comparata, error quidam est, verum etiam quia solenne Theologis est, passione reciproca in* Deo *quæ sunt priuationis asserere.*

IN CAPVT. 3.

¶ Nonne carnales estis, & secundum hominē ambulatis?) GREG. NYSS. *de creatione hominis Cap. octauo. Vnde & tres differētias uoluntatum nouit* A*postolus. carnalem, quæ circa ventrem, & inferiores partes uoluptatibus tantum uitiosis obsequitur: animalem uero, quæ media inter virtutem, malitiāq; versatur, hanc quidem supergrediēs, illius autem nequaquam particeps sinceritatis existens: et spiritalem, quæ perfectionem Deo placitæ conuersationis contemplatione assequitur. Sic enim scribens ad Corinthios exprobrat eis studium uoluptariæ uitæ, atq; passibilis dicens,* N*onne carnales estis &c.*

¶ Stultus fiat ut sit sapiens) ANSELM. *de mensuratione Crucis. Reddamus ergo intellectum, sed nostrum proprium relinquentes, qui nos multum à cognitione veritatis impedit. Quandiu enim homo sensu suo ita innititur, ut ab eo recedere nolit, vix sensum alterius quantuncunq; rationalem apprehendit. Faciendum igitur est secundum Apostolum: Quicūq; inter vos sapiens esse uult, stultus fiat, ut sapiens sit. si enim humiliter se stultum reputaret ad tempus, tunc ueram sapientiam à te, siue à tuis apprehendere posset: quia ubi humilitas, ubi sapientia.*

IN CAPVT. 4.

¶ Qui illuminabit abscondita tenebrarum) AMB. *in Psalmum. 43. Tenebras cordis, sæpe loco criminis legimus, immo prope ubiq;. Vide ergo ne ista sint occulta tenebrarum, quæ sunt cordis occulta: ideoq; tenebrarum nomen acceperint, quod ea ab alijs non deprehendantur, sed lateant. Et ideo Dominus in die iudicij illuminaturus asseritur occulta tenebrarum,*

quia cor uniuscuiusq; manifestabitur, quod ante occultum erat, soli quidem Christo cognitum.

IN CAPVT. 11.

¶ *Et propter Angelos)* BAS. *de Virginitate, Igitur si nihil est opertum, quod non reueletur, propter omnes quas prædixi rationes, uirgo & quum sola est sui met ne peccet curam sollicitam habebit: nec modo hominum uitabit obtutus, uerum longe dignius suos, Angelorumq; ubiq; cuncta spectantium uerebitur. Idcirco enim debet, inquit, potestatem in capite habere propter Angelos.* PAVLIN. *Epistolarum lib. 4. Intelligant cur illas Apostolus proli xiori capitis velamento tegi iusserit, Propter Angelos, inquit. Illos uidelicet ad seductionem paratos, de quibus sancti iudicabunt. Hi enim petulantius infirmiora uasa pertentant: sicut nõ Adam, sed Euam coluber aggressus est.*

¶ *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi)* PACIAN. *in Parænesi ad pœnitentiã. Iã si quis futura non metuit, vel psentem ægritudinẽ, præsentẽq; obitum reformidet. Quum iudicamur, inquitã, Domino corripimur, ut nõ cũ hoc mũdo damnemur. Lætare peccator si in hoc sæculo aut morte interciperis, aut languore consumeris, ne puniaris post sæculũ. Intellige quã tũ sceleris admittat, qui ad altare uenit indignus: cui pro remedio cõputatur, cum aut morbis laborat, aut morte dissoluitur.*

IN CAPVT. 13.

¶ *Nemo potest dicere. Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto)* HIER. *in Esaiam lib. 18. cap. 66. Dicite fratribus uestris. Non simpliciter accipiendum est: alioquin multi fratres uocant, & in corde non retinent charitatem, de quibus scribit Apostolus: Deum confitentur se scire, operibus autem negãt. De quibus & Dominus loquebatur: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit uoluntatem patris mei qui in cælis est. Sicq; stare potest illa sententia: Nemo dicit, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Nam cum hæretici dicant, Dominum Iesum, & multi in resurrectione dicturi sint, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & virtutes multas fecimus? Respondebit eis Dominus: Recedite à me: nescio vos operarij iniqiitatis. Ergo dicere non sermone, qui facilis est, sed affectu, & operibus comprobatur.* MAXIM. CONST. *de Charitate Cent. quarta. Qui perfectam Charitatem consequi potuit, & omnem suã vitam ad eius regulã cõposuit, ille dicit Dominum Iesum in Spiritu, et è contrario cõtraria uidelicet.*

Et euacl...

¶ Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primo Apostolos, secundo Prophetas) VICTORIN. MARTYR in Apoc. Apostoli enim virtutibus, signis, portentis, magnalibus factis vicerunt incredulitatem: post illos iam eisdem consumptis, Ecclesiæ datum est solatium propheticarum scripturarum interpretandarum: quos interpretes prophetas dixit. Ait enim Apostolus: Et quidem posuit in Ecclesia primum Apostolos &c. Et alio loco ait: Prophetæ duo, aut tres dicant, & alij æstiment, Et ait. Omnis mulier orans, uel prophetans detecto capite: deturpat caput suum. Cum autem dicat Prophetæ duo, aut tres dicant, & alii æstiment: non de catholica prophetia dicit inaudita, & incognita, sed etiam prædicata, & nota.

IN CAPVT. 13.

¶ Videmus nunc per speculum in ænigmate) MAXIM. CONST. Cent. prima. Nequaquam vero Deum in essentia sua cognoscimus, sed potius rerum ab illo factarum magnitudine, & eorum quæ sunt prouidentia. Per hæc enim quasi per speculum immensam eius bonitatem, & sapientiam, & potentiam cognoscimus.

IN CAPVT. 15.

¶ Nouissime autem omnium tanquam abortiuo uisus est & mihi) PETR. CHRYSOL. Serm. 56. Nonne sic Paulus acerbo dolore uiam nostræ uexauit, & uiscera genetricis, ut cœlesti turbine, ac tota tempestate Ecclesiæ p̄ueniret tempora parientis, ut subito & in via nasceretur, qui erat ad fidem viam gentibus præbiturus: merito se abortiuum nuncupat, & miratur se fuisse natum, qui nouit se nulla conceptus tempora pertulisse. Nanq; quum adhuc hostis ipse cæderet extrinsecus sanctæ matris uterum, & in ipso ortu pignora veneranda collideret, repente sanctum mutatur in germen, qui ipsius germinis fuerat ferocissimus persecutor.

¶ Gratia Dei sum id quod sum (BENED. in exordio regulæ. Qui timēt Dominum de bona obseruantia sua non se reddunt elatos, sed ipsa in se bona non à se posse, sed à Domino fieri existimantes, operantem in se Dominum magnificant: illud cum propheta dicentes: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. sicut nec Paulus Apostolus de prædicatione sua sibi aliquid imputauit dicēs: Gratia Dei sum id quod sum. Et iterum ipse dicit: Qui gloriatur, in Domino glorietur.

Quum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia: ut sit Deus omnia in omnibus) AMB. *Episcopus in Ps. 61. Subiectio ergo magisterium virtutis humanæ, non Diuinæ imminutio potestatis est. Nam si illum minorem Filium, & inæqualem Patri dicunt, quia erit subditus Patri Deo, nunquid & matre ideo minor quia erat subditus matri? Lectum est enim de Ioseph, & Maria: Et erat subditus illis. Sed pietas omnibus nobis non dispendio, sed incremento est, per quam omnibus nobis Dominus Iesus fidem infundit, & gratiam: vt nos Spiritu fideli subditos Patri faciat Deo. & ideo nouo, & profundo consilio Apostolus ait, Quod ipse Patri erit subiectus in nobis, quum fuerit in omnibus plenitudo fidei, & quædam deuotionis unitas. Nunc enim quandiu sententijs discrepamus, quodammodo regnum Christi minoramus: quia nondũ ei subiecta sunt omnia, cuius regnum vnitas est. quum autem subiecta illi, fuerint omnia, tunc & ipse subiectus erit illi, qui sibi subiecit omnia: ut sit Deus omnia in omnibus, sicut scriptum est. Nunc enim potestate super omnes est, sed opus est ut sit in omnibus uoluntate. Volet autem, quum omnia in nobis cognouerit sui plena, & vacua delictorum. Nondum igitur subiectus est Patri, quia nõdum omnia, & in omnibus Christus. Quum autem fuerit omnia, & in omnibus Christus, erit omnia, & in omnibus Deus. Vnde colligitur unum esse regnum Patris, & Filij, & etiam Spiritus sancti: quia qui Filium receperit, recipit & Patrem, recipit & Spiritum sanctum. quia vna potestas, una gratia, vna operatio Trinitatis est.* HIER. *in epist. ad Titum Cap. secundo. Subijcientur autem ei omnia, quum dixerit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. In subiectis seruis Dominus subijcitur; & quomodo pro nobis dicitur esse maledictum cum non sit maledictum, sed uera benedictio: ita pro nobis vel subiectus scribitur, vel non subiectus, si aut subditi fuerimus Deo, aut non subditi.*

Alioqui quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid & baptizantur pro illis?) EPIPH. *hæresi. 28. In hac enim regione, Asia inquã, immo etiam in Galatia valde uiguit horum doctrina. de quibus etiam ex traditione res quædam ad nos deuenit, quod quidã apud ipsos de uita decesserunt morte præoccupati citra baptisma: alij uero pro ipsis in nomen ipsorum baptizantur. ut ne ubi resurrexerint, illi in resurrectione pœnas dent, eo quod non acceperunt baptisma: & subditi fiant potestati, quæ mundum fecit. Et hac de causa traditio, quæ ad nos deuenit, eundem sanctũ Apostolum dixisse ait: Si omnino mortui non resurgunt, cur & baptizantur*

pro i psis? Cæterũ alij recte hoc dictum interpretantes dicunt, quod morti uicini, si fuerint in pietatis doctrina instructi, ob hanc spem ante obitum lauacro digni fiunt: ostendentes quod qui mortuus est, etiam resurget: & ob id indiget remissione peccatorum per lauacrum. VVALAFRIDVS *de rebus ecclesiasticis cap. 26.* Mortuis *uero baptisma, uel* Eucharistiã *dari, supradicti loci prohibetur* Concilio: *quamuis prædicationis* Euangelicæ *temporibus tãti feruoris quidam in diuina credulitate referruntur fuisse, ut pro quibusdam charissimis ante annunciationem ueritatis, uel baptismi perceptionem defunctis, baptizari studerent.* Quod *Apostolus* Paulus *ad astruendam resurrectionis fidem commemorat.* Quia *nisi crederentur resurrecturi stultum erat pro eis, qui iam non existerent, laborare.*

¶ Quotidie *morior*) AMB. in Ps. 43. *Et uere quotidie Paulus moriebatur secundum carnem, in ieiunijs, in naufragijs, in diuersis periculis, in miserijs constitutus, sed non totus moriebatur. Moriebatur homo eius exterior, sed renouabatur interior. Et ideo non deficiebat quum tot periculis urgeretur.* Quia *& si exterior homo eius corrumpebatur, interior renouabatur de die in diem.*

¶ Nouissimus Adam in Spiritum uiuificantem) IDEM *de* Virginis *institutione cap. 11. Vide clementiam Christi. Ipse est primus, & nouissimus.* Qui *primus erat, propter nos se nouissimum fecit.* Primus, *quia per ipsum omnia: nouissimus, quia per ipsum resurrectio. Descendit enim, & proiecit se ut caderet, infra omnes se faciens, ut omnes iacentes leuaret.*

¶ *Igitur sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis*) CYP. *de habitu* Virginum. Hanc *imaginem virginitas portat, portat integritas, portat sanctitas, portat & ueritas: portant disciplinæ* Dei *memores, iustitiam cum religione retinentes, stabiles in fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam fortes, ad sustinendam iniuriam mites, ad faciendam misericordiam faciles, fraterna pace vnanimes, atq; concordes.* IDEM *de* Zelo, & *liuore.. imaginem autem cœlestem portare non possumus, nisi in eo quod esse iam cæpimus, Christi similitudinem præbeamus.* Hoc *est enim mutasse quod fueras, & cæpisse esse quod non eras: ut in nobis diuina natiuitas luceat, ut ad* Deum Patrem *deifica disciplina respondeat, ut honore, & laude uiuendi* Deus *in homine clarescat.*

¶ In nouissima tuba) PRIMAS. in Apocal. lib. 3. *Septima tuba finis est persecutionis, & aduentus* Domini: *propterea* Apostolus *dicit in nouissima tuba.*

IN EPISTOLAM POSTERIOREM AD CORINTHIOS.

IN CAPVT. 2.

ꝟ Vt non circunueniamur à Satana : non enim ignoramus cogitationes illius) AMB. *Episcopus de Pœnitentia cap.* 17. *Recte potest serpentem cauere, qui eius potest versutias non ignorare, quæ multæ ad nocendũ sunt.* Vult enim *semper nocere, semper circunuenire ut mortem inferat. Sed debemus cauere ne remediũ nostrum fiat eius triumphus. Circunuenimur enim ab eo, si per nimiã tristitiam pereat, qui potest liberari per indulgentiam.*

IN CAPVT. 3.

ꝟ Nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquã à Domini Spiritu) BAS. *de Spiritu sancto cap.* 21. *Sicut enim quæ iuxta floridos colores posita sunt, è splendore promanante colorantur & ipsa : sic qui euidenter in tendit oculos in Spiritum, ex illius gloria quodammodo transformatur, ut fiat illustrior, dum veritate à Spiritu promanante ceu luce, corde illuminatur. Et hoc est transformari à gloria Spiritus ad propriam gloriam, haud parce, neq; tenuiter, sed in tantum quantum par est illustrari eum qui à Spiritu illuminatur.* AMB. *Episcopus de Spiritu sancto libro tertio cap.* 16. *Hoc est, Qui ad Dominum sumus ante conuersi, ut spiritali intellectu quasi in quodam speculo scripturarum* Domini *gloriam uideremus : nunc ab hac gloria, quæ nos conuertit ad Dominum, in illam cælestem gloriam refor mamur. Ergo cum Dominus sit ad quem conuertimur, Domini autem Spiritus sit à quo reformamur, qui conuersi od Dominum sumus, Dominus utiq; Spiritus sanctus est designatus. Ipse enim conuersos suscepit, qui reformat.*

IN CAPVT. 5.

ꝟ Vt referat vnusquisq; propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum) EVCHER. *in primũ* Regum, *cap. secundo.* Per *corpus quippe ibi dixit Apostolus per tempus quo vixit in corpore. Neq; enim si quis maligna mente, atq; impia cogitatione blasphemet, neq; id ullis membris corporis operetur, ideo non erit reus, quia id motu corporis non gessit : cum hoc per illud tempus gesserit, quo gessit & corpus.*

IN CAPVT. 4.

¶ *Circuncisus aliquis vocatus est, non adducat præputium)* AVCTOR. *Vide quæ scripsimus in primũ* Macc. *cap. primo.*

IN CAPVT. 11.

¶ *Despondi enim uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo)* LEO. I. Pont. Epist. 38. *Illa est enim uirgo Ecclesia sponsa unius uiri Christi quæ nullo se patitur errore vitiari: ut per totum mundum una nobis sit vnius communionis integritas.*

IN CAPVT. 10.

¶ *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit, huiusmodi raptum usq; ad tertium cœlum)* AMB. Episcopus in Ps. 36. *Ante annos quatuordecim reuelatum sibi dicit, & tamen reuelationem tandiu tenuit, & repressit, nec dixisset, nisi utile nobis iudicasset ut diceret: ne nos reuelationibus extolleremur. Si autem in tanta gratia non est gloriatus Paulus, nec nos gloriari oportet. Iuuenis ipse non gloriatus est, senex gloriaretur? Deinde raptũ se usq; ad tertium cælum negare non potuit, & tamen vtrum in corpore, an extra corpus raptus esset, se ignorare testatus est. Non ergo de scientia, sed de ignorantia gloriatur: & Dei circa se gratiam prædicat. Quod scientiæ est, negat: quod charitatis est, confitetur.* EPIPH. *libro qui inscribitur* Ancoratus. *At non falso intelligas, ac dicas, quod dixerit vsq; ad tertiam cœli partem. Nam quum dicit, usq; ad tertium cœlũ, non de tertia parte dicit, sed de tribus numero.* CLAVDIAN. *de* Statu *animæ libro secundo. Verum quoniam non trans tertium, sed in tertium cælum raptus est Paulus, transeundæ sunt, uelut duo cœli, omnis corporea, atq; incorporea creatura, ad creatorem uero, quasi in tertium cælum, non transeundi, quod non potest, ne'q; redeundi, quod non debet, sed standi, & manendi causa veniendum est.*

IN EPISTOLAM AD GALATAS.

IN CAPVT. 2.

¶ *Quũ autẽ uenisset* Petrus Antiochiam, *in faciẽ ei restiti, quia reprehensibilis erat)* GEL. I. Pont. *tomo de anathematis vinculo. Sanctus Petrus Apostolorum sic existimans noui testamenti gratiam prædicandam, ut à legis ueteris*

non recederet institutis, quædam per simulationem legitur inter Iudæos, gētilesq; gesisse. Nunquid ideo aut illa eius sequenda sunt, quæ merito & Coapostolus eius redarguit, & postea consequenter uitauit? pariterq; assumenda sunt cum his, quæ ut pote primus apostolus salubria iudicauit? GREG. Pont. in Ezechielem hom. 18. Certe Paulus qui se legi mortuum per legem dicit, quia ut in Christo crederet, ei hoc & lex ipsa prædicauit, magno fidei ardore succensus, præcepta legis tenere carnaliter noluit: circuncisionem in gentibus fieri uetuit. Et quum Petrus Apostolus seruari adhuc in circuncisione legis consuetudinem uellet, ei in faciem restitit, eumq; hac in re fuisse reprehensibilem dicit: & in hoc eius studium discipulis loquens, non solum culpam, sed, quod est magis, hypocrisim, id est simulationē nominat EVOD. In defensione quartæ & quintæ Syn. Cuius vocem beatus Paulus excepit, & illa, qua semper vsus est, eloqij intonuit libertate, Apostolorum principem leuitatis incessens, quod fluxis, & profligatis mentibus parentis adhuc seruaret affectum, nec in profundum ductis ulceribus ferro medicante succurreret, rescindenda docens laminis secreta morborum, & manifestæ desperationi saluti ferum esse uulnus adhibendum: ne dum manus medici per pietatem à sectione corruptæ carnis suspenditur, de abstinentia teli inuitetur exitium: quia dum parcit ægris dextera, curandos interficit: nec grandis est differentia vtrum lethum inferas, an admittas. Mortem languentibus, qui cum possit, non excludit, inflixit.

¶ Viuo autem iam non ego, uiuit uero in me Christus) DION. AR. de diuinis nominibus cap. quarto. Est autem mentis secessum, ecstasimq; faciens diuinus amor, amatores sui iuris esse non sinens; sed in ea quæ amant penitus transferens. Idq; indicant superiora quidem quæ inferiorum sese prouidentiæ deuouerunt: æqualia vero, quod se mutuo continent: inferiora porro, quia ad prima diuiniore conuersione contendunt. Iccirco & Paulus ille magnus quum diuino amore flagraret, excesiue illius virtutis particeps factus, sacro ore, Viuo, inquit, iam nō ego, viuit uero in me Christus. tanquā verus amator mentis excessum patiens, deo, &, ut ipse ait, uiuens non suam, sed amatoris uitam ut valde diligibilem.

IN CAPVT. 5.

¶ Vos enim in libertatem uocati estis fratres) PACIAN. parænesi ad pœnitentiam. His igitur nos omnibus, multisq; præterea carnalibus vitijs, vt citius ad destinata quisq; perueniat, sanguis Domini liberauit redemptos à seruitute legis, & libertate fidei emancipatos. Ideóq; Apostolus Paulus: Vos autem, inquit, in libertatem uocati estis. Hæc illa libertas, quod nō omnibus astrin

gimur, quibus ueteres tenebantur: Sed donata (ut ita dixerim) sylua delicto rum, & remediorum indulgentia destinata, in pauca conclusi sumus, & necessaria, quæ & seruare facillimum esset credentibus, & cauere: ut meritissimo tartarum non recusaret, qui tantæ donationi ingratus, ne hæc quidem pauca seruasset.

Spiritu ambulate, et desideria carnis nō perficietis) MAXIM. CONST. *de Charitate Cent. quarta. Qui indesinenter in rebus internis peruestigandis, & contemplandis uersatur, modestus est: longanimis est: benignus est: humilis est. Quin etiam ille ipse seruit contemplationibus: &* Theologiæ *studio incūbit, & precatur.* Et hoc est quod inquit Apostolus, Spiritu ambulate &c.

IN CAPVT. 6.

Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo) AMB. Episcopus *in Lucam libro sexto cap. nono.* Prohibentur ergo Apostoli *euangelizare cū Dei filium, ut euangelizarent postea crucifixum. Hæc est* Fidei *gloria, si uere intelligas* Crucem Christi. *Aliæ cruces nihil mihi prosunt: sola crux Christi mihi vtilis est: & vere vtilis, per quam mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Si *mihi crucifixus est mūdus, scio quia mortuus est, non diligo eum.* Scio *quia præterit, non concupisco eum. scio quia corruptela cōsumet hunc mūdum, quasi fœtidum uito: quasi luem caueo: quasi nociturum relinquo.* DOROTH. *Serm. 1. Quid igitur differt crucifigere sibi ipsi mundum; & mū do crucifigi?* Mundus *homini crucifigitur, quum mundo abrenunciat homo, & exinde solitarius fit, relictis parentibus, possessionibus, agris, negotiationibus, rerum copia. Crucifigitur enim illi mundus, quia deserit eum. & hoc est* Apostolicum *dictum:* Mihi *mundus crucifixus est, & ego mundo. Quo pacto crucifigitur homo mundo? Qu um scilicet, ubi ex mundi rebus excesserit, certat aduersus rerum concupiscentias, aduersus uoluptates, aduersus propriam uoluntatem: subigitq; innatas passiones, & vitia. Tunc uere mundo crucifigitur: tunc merito potest cum* Apostolo *dicere:* Mihi *mundus &c.*

IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

IN CAPVT. 1.

In quo & credentes signati estis Spiritu *promissionis sancto)* AMB. Episcopus *de* Spiritu *sancto libro primo cap. sexto.* Sancto *igitur* Spiritu *signati sumus non natura, sed à* Deo, *quod scriptum est:* Qui *unxit nos* Deus, *& qui signauit nos, & dedit pignus* Spiritus *in cordibus nostris. signati ergo* Spiritu *à* Deo *sumus.* Sicut *enim in* Christo *morimur, & renascimur, ita etiam*

Spiritu signamur, ut splendorem, atq; imaginem eius, & gratiam tenere possimus: quod est utiq; Spiritale signaculum. Nam & si spiritu signemur in corpore, ueritate tamen in corde signamur: ut Spiritus sanctus exprimat in nobis imaginis cælestis effigiem.

IN CAPVT. 2.

¶ Qui fecit utraq; unum) PAVLIN. *Epistolarum libro quarto. Id est hominem, & Deum, quem in se ipso connexuit Deus, & homo Christus Iesus, in quo utranq; substantiam naturæ discordiam posuit, & uiuificantis gratiæ æternum fœdus agnouit.*

IN CAPVT. 3.

¶ Ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur) DION. AR. *de diuinis nominibus Cap. primo. Vt Trinitatem vero propter diuinæ fœcōditatis in tribus personis expressionem, ex qua omnis paternitas in cœlo, & in terra est, & nominatur.* IDEM *cap. secundo. Hactenus uero nostra omnis intellectualis actio se extendit, quod omnis Diuina paternitas, & filiatio à Patriarchia, & Filiarchia ab omnibus segregata, donata est & nobis, & super cælestibus virtutibus: ex qua & dij, & deorum filij, & deorum patres deiformes fiunt, & nominantur Mentes: spiritualiter uidelicet tali Paternitate, et Filiatione perfecta.*

¶ Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum) IDEM *cap. nono. Præterea si uelis triplices corporum figuras Deo, qui tactum, figuramq; refugit, accommodare, latitudo quidem diuina est latissima per omnia Dei processio: longitudo uero, potestas quæ super tota extenditur: profundum uero, omnibus rebus quæ sunt incomprehensibile illud arcanum, atq; ignoratio.*

IN CAPVT. 4.

¶ Sol non occidat super iracundiam vestram) AMB. *Episcopus in Ps. 36. Ne dum diu differs, veniat ille qui calefactum corporis somno excitare consueuit, & stimulet te: et inferat tibi cogitationes, & in secreta tui pectoris immergat; dicens: Vindica iniuriam tuam: uirum te esse cognosce.*

Nemo

¶ *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit*) MAXIM. CONST. *de Charitate Cent. tertia. Sed castigat uidelicet, & in seruitutem redigit, nihil nimis illi exhibens, præterquã uictum, & uestitum: atq; hæc sola quantũ ad uitam sustentandam exigit necessitas. Ad hunc itaq; modum aliquis citra affectum carnem suam amare potest: dum sicut famulam diuinarum rerũ alit, & fouet illam his tantummodo quibus eius necessitatem explere possit.*

IN EPISTOLAM AD PHILIPENSES.

IN CAPVT. 1.

¶ *Confidens hoc ipsum, quia qui incæpit in nobis opus bonum, perficiet usq; in diem Christi Iesu*) CONC. ARAVSICANVM Can. 5. *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsum credulitatis affectum, quo in eũ credimus qui iustificat impium, & ad regenerationẽ baptismatis peruenimus, non per gratiæ donũ, id est per inspirationem Spiritus sancti corrigentem uoluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus aduersarius approbatur, beato Paulo dicente: Confidimus quia qui cœpit in uobis bonum opus &c. Et illud: Vobis datum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini. Et, Gratia salui facti estis per fidem, non ex uobis, Dei enim donum est. Qui enim fidem, qua in Deum credimus, dicit esse naturalem, omnes eos, qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse diffiniuit.*

¶ *Mihi enim uiuere Christus est, & mori lucrũ*) CYP. *de Mortalitate. Lucrũ maximum computans iam sæculi laqueis non teneri, iam nullis peccatis, & uitijs carnis obnoxium fieri, exemptum pressuris angentibus, & uenenatis diaboli faucibus liberatum, ad lætitiam salutis æternæ Christo uocante proficisci.*

IN CAPVT. 2.

¶ *Qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualẽ Deo &c.*) AGNELLVS *ad Arminiũ de ratione Fidei. Apostolus Paulus duas formas æquales in Patre, & Filio posuit, ut æqualitatẽ exprimeret. Dicit. n. sic de Filio: Qui quũ in forma Dei esset &c. Vides formam, et formam, et æqualitatem Apostolica auctoritate declaratam.* AMB *lib. septimo epist. 47. Quid est, In Dei forma, nisi in plenitudine diuinitatis, in illa perfectionis diuinæ*

expressione? Ergo quum esset in plenitudine diuinitatis exinaniuit se, et accepit plenitudinem naturæ, & perfectionis humanæ: sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consumationi, ut esset perfectus in utraque forma. IDEM. de Spiritu sancto libro primo cap. septimo. Semet ipsum exinaniuit, ut nos eũ nostris animis percipere possemus. Exinaniuit autem non quod ipse esset uacuus suæ plenitudinis, sed quo mihi qui plenitudinem eius sustinere non possem, pro eo quod capere possem, infunderetur. IDEM in Ps. 118. Serm. 18. Non te moueat quia scriptum est, vt homo, Non enim similitudinem suscepit hominis, sed veritatem. Nam ipse Apostolus ait alibi: Mediator Dei, & hominũ homo Christus Iesus. ANTONIVS. Epist. 3. Sed vnusquisq; nostrum vendidit semet ipsum propriis uoluptatibus in mala, & ipsis seruus addictus ẽ, ob quæ ipse Iesus exinaniuit semet ipsum à gloria formam serui accipiens, ut illius seruitus nos liberaret. stulti fuimus, et in stultitia nostra facinus gessimus: assumpsit ille habitus stultitiæ, ut nos faceret sapientes. Inopes eramus, & in paupertate nostra omnis defecerat uigor à nobis: item ille ob hæc aßumpsit inopiæ formam, ut paupertate sua nos in omni sapientia, & intellectu ditaret. Nõ solum autem hæc, sed insuper & infirmitatis nostræ figuram assumpsit, ut propria infirmitate nos robustos efficeret: obediens factus Patri in omnibus usq; ad mortem, mortem autem crucis; ut in sua morte, & humilitate illam cunctorum resurrectionem efficeret: eumq; destrueret, qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum.

IN CAPVT. 3.

Videte canes, uidete malos operarios) CONC. TRIBVRIENSE Can. 31. Canes vocauit hæreticos, quod non habent verecundiam; malos operarios, quia nulla faciunt quæ pietati conueniunt.

Qui spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu, & non in carne fiduciam habentes) DID. 3. de Spiritu sancto. Qui enim non litera carnem concidunt, sed cor spiritu circuncidunt, auferentes omne eius superfluum, quod generationi proximum est, & amicum, hi uerò Spiritu circuncisi sunt in occulto Iudæi, & vere Israelitæ, in quibus non est dolus: qui transcendentes umbras, & imagines ueteris Testamenti, cultores ueri adorant Patrem in spiritu: quia corporalia, & humilia transcenderunt. In ueritate, quia typos, & umbras, & exemplaria relinquentes, ad ipsius ueritatis uenere substantiã; et (ut iam diximus) humili, & corporea verborum simplicitate contempta ad spiritalem legis notitiam peruenerunt.

IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES

IN CAPVT. 2.

¶ *In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*) CASSIOD. *in Ps. 30. Cæterum in illo semper fuit omnipotentia singularis, & diuina plenitudo mirabilis, sicut Apostolus dicit: In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, id est substantialiter, & manifeste. diuinitas enim esse non potest corporalis.* MAXENT. *contra Nestorianos libro secundo. Et habitat plenitudo diuinitatis in Christo, & non inhabitat in Christo Trinitas, ne sit non Trinitas, sed Quaternitas. Nam cum nullo dubitante Pater, & filius, et Spiritus sanctus sit Trinitas, ideo non Trinitatem Paulus in Christo docet inhabitare, dicens, Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: sed Patrem in Christo docet inhabitare.* ET *Paulo post. Restat ut non sit contrarium, immo potius ualde congruum veritati, Patrem plenitudinem intelligere diuinitatis: quia sicut ipse plenitudo sua est, similiter & Filius plenitudo, & Spiritus sanctus plenitudo, & simul omnes, hoc est tota Trinitas, non tres, sed una est plenitudo diuinitatis. quia & perfectus Pater, & perfectus Filius, & perfectus Spiritus sanctus: & simul omnes non tres perfectiones, sed vna perfectio. Si enim Filius, sicut de eo testificatur Ioannes, dicitur plenitudo: Nos, inquit, omnes de plenitudine eius accepimus, quomodo Pater negandus est esse plenitudo?*

IN EPISTOLAM AD THESSALONICENSES PROREM.

IN CAPVT. 3.

¶ *Vos autem Dominus multiplicet &c.*) BAS. *de Spiritu sancto cap. 21. Quem Dominũ optat coram Deo, et Patre nostro in aduentu Domini nostri irreprehensibilia fidelium Thessalonicensium corda confirmata in sanctitate constabilire? respondeant nobis, qui cum ministratorijs spiritibus, qui mittuntur ad ministerium, collocant Spiritum sanctum? At non habent quod respondeant.*

IN CAPVT. 4.

¶ *Nos qui uiuimus, qui residui sumus in aduentu Domini non præueniemus eos qui dormierunt &c.*) GREG. NYSS. *de creatione hominis cap. 23 Quum enim plenitudo (ut arbitror) humanæ naturæ iuxta præscitum à Deo modum ad suos venerit terminos, quibus ad incrementum numeri anima-*

rum nihil ulterius desit, in momento temporis eorum quæ sunt commutationem fieri docuit, momentum nominans, & ictum oculi, illius temporis indiuiduū & sine ulla distantia terminum. Ita ut nequaquā possibile sit iuxta nouissimū, & supremum quicquā plus celeritatis accedere. Propter quod multa pars extremitati relinquetur, quæ hanc circumactam commutationem in morte possideat: sed mox ut resurrectionis insonuerit tuba, quæ tunc excitatura est mortuos, & his, qui in uita reperti fuerint iuxta similitudinem eorum, qui de mortuis resurrexerint, immutatis, ad incorruptionem pariter uenient: ut iam nequaquam deorsum premantur corporeo pondere, nec eos moles terrena detineat, sed sublimiter in aera perferantur.

IN CAPVT. 5.

¶ Sine intermissione orate) MAXIM. CONST. de Charitate Cent. secunda. Summum orandi modum, & perfectissimum hunc esse dicunt: quando animus extra carnem, & mundum positus, atq; ab omnibus rebus quæ materiæ participes sunt, earundemq; figuris remotus, orat. Itaq; qui hunc illæsum orandi modum obseruat, ille reuera sine intermissione orat.

¶ Spiritum nolite extinguere) HESYCH. in Leuit. libro secundo. Oportet quippe eum, qui holocaustum, id est perfectæ sapientiæ operationem debet, semper accendere ignem sancti Spiritus, & non sinere extingui. Extinguitur autem ex eorum quibus donatus est negligentia. Propter quod & Paulus ait: Spiritum nolite extinguere. Velut in nostra potestate sit positum extinguere illum, siue accendere.

¶ Vt integer Spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduētu Domini nostri Iesu Christi seruetur) DID. de Spiritu sancto libro tertio. Sicut enim aliud est anima, & corpus aliud, sic & aliud est Spiritus ab anima, quæ suo loco specialiter nominatur. de quo & orauit Apostolus, ut integer seruetur cum anima & corpore. Quia incredibile est atq; blasphemum orare Apostolum ut Spiritus sanctus integer seruetur, qui nec immutationem potest recipere, nec profectum. De humano ergo (ut diximus) Spiritu in hoc loco Apostoli sermo testatus est. GREG. NYSS. libro de creatione hominis cap. octauo. Nam & Apostolum tale aliquid cognoscimus intimare, ubi pro Thessalonicensibus orans ait: Ipse autem Deus pacis sanctificet uos per omnia, ut integer Spiritus uester, & anima, & corpus sine querela in aduentum domini nostri Iesu Christi seruetur. Pro nutribili parte, corpus, pro sensibili animam, pro intellectuali, Spiritum ponens.

IN EPISTOLAM AD THESSALONICENSES POSTERIOREM.

IN CAPVT. 2.

Tantum ut qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat) TERTVLL. *libro de resurrectione carnis*. Quis? *nisi* Romanus status, *cuius abscessio in decem reges dispersa* Antichristum *superducet: & tunc reuelabitur iniquus.*

IN EPISTOLAM PRIOREM AD TIMOTHEVM.

IN CAPVT. 1.

Charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta) GEL. I. Pont. *epist. ad* Anastasium Augustum. *Quomodo (quæso te) de corde erit puro, si contagio inficiatur externo? Quomodo de conscientia bona, si prauis fuerit, malisq; commista? Quemadmodum fide non ficta, si maneat sociata cum perfidis?*

Regi sæculorum immortali, & inuisibili) DION. AR. *de diuinis nominibus cap. 5.* Iccirco *etiam* Rex *sæculorum dicitur, ut in quo, & circa quem totum esse, & ens, subsistensq; versetur.* IDEM *cap. septimo*. Non *modo quia humana mens omnis firmitati, & stabilitati diuinarum, perfectissimarumq; intelligentiarum, uerum etiam, quia* Theologis *vsitatum est passione reciproca in* Deo *quæ priuationis sunt affirmare.* Ita & Inuisibilem *dicunt eo quia clarissimam lucem.*

IN CAPVT. 2.

Volo ergo uiros orare in omni loco) AMB. *de sacramentis libro sexto cap quarto*. Qua *ratione uiros dixit?* Vtiq; *communis oratio est & mulieribus, & uiris.* Quod *non inuenio, nisi forte sanctus* Apostolus *ideo uiros dixit, ne mulieres usurparent, & male intelligerent in omni loco, & inciperent, ubiq; clamare, quas in ecclesia sustinere non possumus.* Volo *autem uiros, hoc est qui possint seruare præceptum, orare in omni loco, leuantes puras manus.*

IN CAPVT. 13.

Non uinolentũ, non percussorẽ) CANON. APOST. 42. Episcopus, *aut* Presbyter, *aut* Diaconus, *aleæ, atq; ebrietati deseruiens, aut desinat, aut*

certe deponatur. ITEM CAN. 28. Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum percutientem fideles delinquentes, aut infideles inique agentes, & per huiusmodi volentem timeri, deiici ab officio suo præcipimus: quia nusq; nos hoc Dominus docuit. E contrario uero ipse quum percuteretur, non repercutiebat: quum malediceretur, non remaledicebat, quum pateretur non comminabatur. HIER. in Esaiam cap. 58. Vnde Episcopus non debet esse percussor. Quomodo enim potest libidinem refrenare, qui nec manum ualet cohibere, nec linguam?

(Non neophytum, ne in Superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli) CONC. SARDICENSE Can. 13. Et hoc necessarium arbitror, ut diligentissime tractetis, si forte aut diues, aut scholasticus de foro,, aut ex administratore Episcopus fuerit postulatus, ut non prius ordinetur, nisi ante & lectoris munere, & officio Diaconi, aut Presbyteri fuerit perfunctus: & ita per singulos gradus (si dignus fuerit) ascendat ad culmen Episcopatus. Potest enim per has promotiones, quæ habebunt utique prolixum tempus, probari qua fide sit, qua ue modestia, qua grauitate, et uerecundia. Et si dignus fuerit ꝓbatus, diuino sacerdotio illustretur. Quia conueniens non est, nec ratio, uel disciplina patitur, ut temere, & leuiter ordinetur aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui neophytus est: maxime cum & magister gentium beatus Apostolus ne hoc fieret denunciasse, & prohibuisse uideatur: sed hi quorum per longum tempus examinata sit uita, & merita fuerint comprobata. MARTIN. Bracarensis episcopus libro excerptorum ex synodis Orientalium Canone. 22. Neophytus si baptizatus fuerit iam ætate legitima non continuo licebit eum ad ecclesiasticum ordinem promoueri, quia oportet illum prius doceri, quod possit docere, & multo tẽpore post baptismũ probari: ut bene probatus ueniat ad clerũ, secundũ præceptũ Apostoli dicentis: Non neophytũ. HIER. in Esaiam cap. 3. Putet aliquis & illud quod Apostolus prohibet Episcopum fieri neophytum, ad hoc pertinere, quia paruulus in fide est, ne elatus in superbia, incidat in iudicium diaboli. Iudicium autem diaboli nullum est aliud nisi superbia, propter quam de cœlestibus decidit. Vnde & Saluator loquitur: Videbam Satanam quasi fulgur cadentem de cælo. CHRYSOST. in illud, Eleuatum est cor Oziæ. Quid igitur ait Paulus Timotheo scribens? Quod qui nuper professus est Euangelium; eum non oportet ad summã Episcopi dignitatem euehi. Ita ferme loquitur. Nõ neophytũ, ne inflatus incidat in iudicium diaboli. Ne eadem, inquit, peccans cum illo, eadem cum illo patiatur.

Exerce te ipsum ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est) MAXIM. CONST. *de Charitate Cent.* 4. *Ne omne otium tuum impendas carni, sed definito illi quam potes exercitationẽ: et totam mentem ad interiora conuerte. Siquidem corporalis exercitatio ad modicum vtilis est &c.*

Attende lectioni &c.) CONC. TOLET. 4. *Canone.* 24. *Ignorantia mater cunctorum errorum maxime in Sacerdotibus Dei uitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sanctas scripturas frequenter admonet Paulus Apostolus dicens ad Timotheum: Intende lectioni, & exhortationi, doctrinæ quoq; & semper permane in his. Sciant igitur Sacerdotes scripturas sanctas, & Canones meditentur, ut omne opus eorum in prædicatione diuina, & doctrina consistat. atq; ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.*

IN CAPVT. 5.

Manus cito nemini imposueris, neq; communicaueris peccatis alienis) SIRITIVS Pont. *Epist.* 3. *Quod propterea memoratur, ut examine habito, & probitate morum, & ecclesiastico labore sit cõmendatior, qui vocatur in medium, ut summum Sacerdotium possit accipere, probatus iudicio, nõ fauore susceptus, ueritate non gratia, Apostolico ordine functus, non præcipiti uolũtate.* LEO. I. *Pont. Epist.* 85. *Vbi ẽ illa beati Pauli Apostoli per Spiritum Dei emissa præceptio, qua in persona Timothei omniũ sacerdotũ Christi numerus eruditur, & perinde vnicuiq; nostrum dicitur, Manus cito nemini imposueris, neq; communicaueris peccatis alienis? Quid est cito manu simponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis ille est, qui non meruit ordinari?*

IN CAPVT. 6.

Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & laqueum diaboli) AMB. in Ps. 118. Serm. 14. *Aduertis laqueum diaboli esse diuitias, quem tetendit etiam Saluatori? Sed ille qui nihil habuit quod posset princeps istius mundi uequitiens suum dicere, laqueorum eius uincula dissoluit. Ac ne mediocrem hunc nimne alteri putes, hic laqueus Iudam strangulauit.*

7 O Timothee depositum custodi deuitans profanas uocum nouitates) VINCENT. *aduersus profanas omnium hæresum nouationes. Quid est depositum custodi? Custodi, inquit, propter fures, propter inimicos, ne dormientibus hominibus superseminent zizania super illud tritici bonum semen quod seminauerat filius hominis in agro suo. Depositum, inquit, custodi. Quid est depositum? id est quod tibi creditum est, non quod à te inuentum: quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenij, sed doctrinæ: non vsurpationis priuatæ, sed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam, in qua nō auctor debes esse, sed custos: non institutor, sed sectator: non ducens, sed sequens. Depositum, inquit, custodi. Catholicæ fidei talentum illibatum, inuiolatumq; conserua. Quod tibi creditum est, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepisti, aurum redde. Nolo mihi pro alijs alia subijcias. Nolo pro auro aut impudenter plumbum, aut fraudulenter æramēta supponas. Nolo auri speciem, sed naturam plane.* ET *infra. Deuita, inquit, quasi Viperam, quasi scorpionem, quasi Basiliscum, ne te non solum tactu, sed etiam uisu, afflatuq; percutiant.* ITEM. *Quid est profanas? Quæ nihil habent sacri, nihil religiosi, ab Ecclesiæ penetralibus, quæ est templum Dei, penitus extraneis. Profanas, inquit, uocum nouitates. Vocum, id est dogmatum, rerum, sententiarum nouitates, quæ sunt vetustati, quæ antiquitati contraria. Quæ si recipiantur, necesse est, ut fides beatorum Patrum, aut tota, aut certe magna ex parte uioletur.*

IN EPISTOLAM POSTERIOREM AD TIMOTHEVM.

IN CAPVT. 3.

7 Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus) CONC. VORMATIENSE. *Can. 57. Item placuit ut Episcopi, Presbyteri, & Diacones non sint conductores, aut procuratores, neq; ullo turpi negotio, & inhonesto uictum quærant: quia respicere debent scriptum esse. Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.*

7 Ille fidelis permanet: se ipsum negare non potest) DION. AR. *de diuinis nominibus cap. octauo. Nempe enim se ipsum negare, à ueritate decidere est, porro ueritas ens est: et à ueritate cadere, ab ente est cadere. Si igitur ueritas Ens est: ueritatisq; negatio, est ab ente prolapsio, ab Ente cadere Deus non potest: et non esse non est, ut ita dicam, et non posse non potest: et non cognoscere secundum priuationem non nouit.*

Arg.

IN CAPVT. 4.

Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina) PROSP. de Vita contemplatiua lib. 2. cap. quinto. Argue coæquales, obsecra seniores, increpa iuniores. Sed propterea addidit: in omni patientia, & doctrina: quia leniter castigatus exhibet reuerentiã castigãti: asperitate autẽ nimiæ increpationis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem. PALLAD. in vita Chrysostomi. Nemo autem obijciat cur duo aspera, unum bla[illegible]m, ipsumq; uix, et cunctando posuerit. Argue enim, & Increpa, cum sint uehementer acria, ex eo quod additur, Obsecra, & non, Blandire, nihil amisere uirium. Id quippe scite factum: uoluptati deditis, & laxe viuentibus acrius est eis quoq; increpationibus, quæ grauiores, & molestiores esse putantur. Illic enim fortassis indignatione quadam obsistens anima, quæ in reprehensione dicuntur minime sentit: hic vero sensim, atq; paulatim modestis, uerisq; sermonibus quasi admoto lẽto quodam igne, percutitur, atq; dissecatur.

IN EPISTOLAM AD TITVM.

IN CAPVT. 3.

Et delinquit proprio iudicio condemnatus) MAXIM. TAVR. de accusato, & iudicato Domino apud Pilatum hom. 2. Ipse enim se damnat hæreticum, quum de ecclesia ipse se proijcit, & de coetu sanctorum nullo compellente procedit. Ipse enim ostendit quid mereatur à cunctis, qui suo iudicio separatur à cunctis. Ipse, inquam, se damnat hæreticus, quia cum omnes criminosi Episcopi sententia proijciantur de consortio Christiano, hæreticus cuncta præueniens, sententia suæ uoluntatis abijcitur.

IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

Paulus vinctus Iesu Christi) CHRYSOST. hom. 16. ad populum Antiochenum. Magnum Pauli oraculum, non principatus, & honoris nomen, sed vincula, & catenæ. Vere magnum, atq; multa ipsum alia splẽdidum faciunt, in cælum rapi tertium, in paradisum deferri, uerba audire ineffabilia. sed horum nil posuit, sed pro omnibus catenam: hæc enim magis quam illa illustrem reddebat & splendidum.

Sine consilio autem tuo nihil uolui facere, uti ne uelut ex necessitate bonum tuum esset, sed uoluntarium) AMB. in Ps. 118. Serm. 14. Quam sedulus, qui cum esset uas electionis diuinæ, consortium consilij non dedignabatur alieni: ne alterum fructu uoluntatis propriæ defraudaret.

HIER. *in epist. ad Galatas cap. primo. Et in Epistola ad Hebræos intelligere possumus propterea Paulum solita consuetudine nomen suum, nec Apostoli uocabulum præposuisse, quia de Christo erat dicturus: Habentes ergo principem sacerdotum, & apostolum confessionis nostræ Iesum: nec fuisse congruum, ut ubi Christus, Apostolus dicendus erat, ibi etiam Paulus Apostolus poneretur.*

IN CAPVT. 1.

Cui enim Angelorum dixit aliquando, Sede à dextris meis? Nonne omnes sunt administratorij Spiritus in ministerium missi?) DID. *de Spiritu sancto libro primo. Hoc enim quod ait: Cui Angelorum: æque accipitur, ac si diceret, nulli: per Angelicum nomẽ significans omnium substantiam inuisibilium creaturarum. Neq; enim ulli quidem angelorum, & aliæ cuidam rationabili creaturæ dixit Deus, sede à dextris meis. In commune itaq; sermo pronunciat, non esse dictum cuiquã creaturæ, sede à dexteris meis. Et hoc in commune de creatura. Et pronuncians de omnibus inuisibilibus creaturis, ait eas esse administratores spiritus, propter quod subiecit. Non ne omnes sunt administratores Spiritus in ministerium missi? Licet enim non omnes singillatim inuisibiles creaturæ missæ sint, tamen quia eiusdem generis, & honoris aliæ missæ sunt, quodammodo & ipsæ possibilitate sunt missæ, missarum consortes, æqualisq; substantiæ.*

IN CAPVT. 2.

Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem) HIER. *in Epist. ad Galat. libro secundo cap. 3. Nec hoc ex meo sensu dictum putetis, scriptura testis est, quia Christus gratia Dei: siue, (ut in quibusdam exemplaribus græcis legitur) absq; Deo pro omnibus mortuus est.* AMB. *Episc. de Fide libro quinto cap. 4. Quod incarnationis Dei mysterium vniuersæ salus est creaturæ, secundum quod scriptum est: Vt sine Deo pro omnibus gustaret mortem. Id est, quod creatura omnis sine passione aliqua Diuinitatis, Dominici sanguinis redimenda sit prætio.* VIGIL. *libro secundo contra Eutychẽ. Quid est igitur sine Deo gustare mortem? nisi quia Verbum immortale est, & passio secundum carnem est. Vnde & Petrus Apost. ait: Christo itaq; passo carne.* FVLG. *libro tertio de sacramento Dominicæ passionis. sine Deo igitur homo ille gu-*

ſtauit mortem, quantum ad conditionem attinet carnis: non autem ſine Deo, quantum ad ſuſceptionem pertinet Deitatis. AVCTOR. Varietas interpretationis ſine dubiò accidit ex varietate græcæ lectionis. Nam ſi χάριτι legas, Gratia ſonat: ſin χωρὶς, ſine, & abſq; ſignificat.

¶ Nusq; enim Angelos apprehendit ſed ſemen Abrahæ apprehendit) THEODOR. Dialogo primo cõtra hæreſes. Propemodum dicens, Vera eſt promisſio: impoſuit Deus finẽ promisſionibus: apertus eſt gentibus fons benedictus. Deus ſemen Abrahæ apprehendit: per eum ſuperius promiſſam ſalutem procurat: per eum gentium expectationem confirmat.

IN CAPVT. 5.

¶ Et quidem cum eſſet filius Dei, didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiam) ANSEL. libro primo cur Deus homo, Cap. nono. Id eſt quo uſq; debeat ſeruari obedientia. Verbum autem quod propoſitum eſt, Didicit, duobus modis intelligi poteſt. Aut enim, Didicit, dictum eſt pro eo quod eſt, alios diſcere fecit: aut quia quod per ſcientiam non ignorabat, experimento didicit. RIC. VICT. libro primo de Emmanuele cap. 16. Sed quod dictum eſt, noſtrum puerum didiciſſe reprobare malum, & eligere bonum, non ſic accipere oportet, quaſi ſcientiam illam, quæ per experientiam eſt, ex ſola comestione obtinuiſſet; nam & Apoſtolus dicit, quia in his, quæ paſſus eſt, obedientiam didicerit. ſed nunquid ex his tantum quæ paſſus eſt, & non etiam ex his, que per ſemetipſum operatus eſt? immo certe & ex his, & ex illis. Quia in utriſq; executus eſt non uoluntatem ſuam, ſed uoluntatem Patris.

¶ Et facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo) DION. AR. epiſt. nona. Arbitror itaq; ſolidum cibum intellectualis, perſeuerantiſq; perfectionis, atq; identitatis ſignificationem præferre: per quam intellectuales illi ſenſus ſecundum ſtantem, ac potentisſimam, & ſingularem, indiuiduamq; ſcientiã diuina participant. Quibus beatisſimus Paulus ſolidi veraciter cibi à ſapientia accepti conſortium, & participium tradit. Porro liquidum cibum inundantiã illam large manantem, atq; ad omnia prodire feſtinantem, ſed adhuc per varia, & plurima, atq; diuidua ad ſimplicem, & fixam, atq; conſtantem Dei ſcientiam eos, quos alit, pro captu, ac modo ſingulorum bonitate præcipua manuducentem, ſignare certum eſt. Idcirco diuina, ac ſpiritualia eloquia, & rori, et aquæ, & lacti, & uino, ac melli merito asſimilantur, quod & viuificandi, atq; fœcundandi, ueluti in aqua, & ad incrementum producendi, ut in lacte, & recreandi, ut in vino, & purgandi ſimul, atq; conſeruandi, ueluti in melle habeant.

¶ Et sanguinis effusionem melius loquentem, quam Abel.) CYP. de dupli ci martyrio. Siquidē ille clamās de terra loquebatur uindictā: at Christi sanguis de cruce clamans pacem loquitur, & reconciliationem. Quin idem sanguis quo niam à nobis bibitur (si modo digne bibitur) clamat in cordibus nostris uerba pacifica, & solatij plena. Et illic triplex testimonium, licet spirituali quodā modo, Clamat Spiritus, qui nobis arrhabonis loco datus est, Abba Pater, testificans quod sumus filij Dei. Clamat aqua, per quam renati sumus, quod cō donata sunt nobis omnia peccata. Et si quis adhuc dubitat, accedit sanguinis testimonium.

IN CAPVT. 13.

¶ Iesus Christus heri, & hodie, ipse & in sæcula) AMB. Episcopus de Fide libro quinto cap. secundo. Est, inquit, non solum nomine, hoc est sed etiam ueritate. Et bene scriptum est: Heri, & hodie ipse est: ut Arij impietas astruē di sacrilegij locum inuenire non posset. Qui quum legeret in Psalmo secundo dicentem Filio Patrem, Filius meus es tu: ego hodie genui te: annotauit hodie nō heri, ad æternitatem diuinæ generationis referens, quod de carnis assumptione memoratum est. Sancto igitur Spiritu repletus Apostolus, ut illam elideret sæuitatem, ait: Heri, & hodie ipse est, & in sæcula. Heri, propter æternitatem, hodie, propter corporis susceptionem.

¶ Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci) AGAP. de Officio Regis ad Iustinianū Imp. Super aurum, & lapidem prætiosum beneficē tiæ diuitias ueluti thesaurum recōdamus. Illæ nanq; tum in præsenti uita oblectant spe futuræ fruitionis, tum in futura dulcedinem afferunt, experimento, gustatu'q; speratæ beatitudinis. Quæ uero nunc circa nos apparent tanquam nihil ad nos pertinentia non nos nimium allectent.

IN EPISTOLAS CATHOLICAS.

IN EPISTOLAM IACOBI APOSTOLI.

IN CAPVT. 1.

¶ Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua, diues autem in humilitate sua) RABAN. in Ecclesiasticum cap. 3. Quia omnis qui aduersa pro Domino humiliter suffert, sublimiter ab illo regni præmia percipiet: econ trario autem diues in humilitate sua glorietur: quod per ironiam dicitur, quan

do gloriam suam, qua de diuitijs superbiebat, & pauperes despiciebat, aut etiam opprimebat, perpetua pœna finitam esse conspexerit.

IN CAPVT. 3.

¶ *Et inflammat rotam natiuitatis nostræ)* ANTIOCH. *hom.* 30. *Liquet per hoc intelligi temporariæ istius vitæ momenta quibus ipsa sursum deorsum prouoluitur. Quid enim hominis uita aliud quã rota, quæ perpeti rotatu uersatur? Sed & eadem inflammatur à geenna.*

IN CAPVT. 5.

¶ *Infirmatur quis in uobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini)* INNOCENT. I. *Pont, Decreto octauo. Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, uel intelligi debere, qui sancto Oleo Chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, non solum sacerdotibus, sed omnibus vti Christianis licet in sua, aut suorum necessitate inungendo. Cæterum illud superfluum videmus adiectum, ut de Episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco de Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum si Episcopus aut potest, aut dignũ ducit aliquem à se uisitandum, & benedicere, & tangere sine cunctatione potest, cuius est ipsum Chrisma conficere.*

IN EPISTOLAM PRIOREM PETRI APOSTOLI.

IN CAPVT. 3.

¶ *Quod & nos nunc similis formæ saluos facit Baptisma)* CYP. *ad Pompeium contra epistolam Stephani. Quam breui, & Spirituali compendio unitatis sacramentum manifestauit. Nam ut in illo mundi baptismo, quo iniquitas antiqua purgata est, qui in arca Noe non fuit, non potuit per aquam saluus fieri, ita nec nunc potest per baptismum saluus uideri, qui baptizatus in Ecclesia non est, quæ ad arcæ huius sacramentum dominica unitate fundata est.*

Spiritu signamur, ut splendorem, atq; imaginem eius, & gratiam tenere possimus: quod est utiq; Spiritale signaculum. Nam & si spiritu signemur in corpore, ueritate tamen in corde signamur: ut Spiritus sanctus exprimat in nobis imaginis cælestis effigiem.

IN CAPVT. 2.

¶ *Qui fecit utraq; unum*) PAVLIN. *Epistolarum libro quarto. Id est hominem, & Deum, quem in se ipso connexuit Deus, & homo Christus Iesus, in quo utranq; substantiam naturæ discordiam posuit, & uiuificantis gratiæ æternum fœdus agnouit.*

IN CAPVT. 3.

¶ *Ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur*) DION. AR. *de diuinis nominibus Cap. primo. Vt Trinitatem vero propter diuinæ fœcōditatis in tribus personis expressionem, ex qua omnis paternitas in cælo, & in terra est, & nominatur.* IDEM *cap. secundo. Hactenus uero nostra omnis intellectualis actio se extendit, quod omnis Diuina paternitas, & filiatio à Patriarchia, & Filiarchia ab omnibus segregata, donata est & nobis, & super cælestibus virtutibus: ex qua & dij, & deorum filij, & deorum patres deiformes fiunt, & nominantur Mentes: spiritualiter uidelicet tali Paternitate, et Filiatione perfecta.*

¶ *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum*) IDEM *cap. nono. Præterea si uelis triplices corporum figuras Deo, qui tactum, figuramq; refugit, accommodare, latitudo quidem diuina est latissima per omnia Dei processio: longitudo uero, potestas quæ super tota extenditur: profundum uero, omnibus rebus quæ sunt incomprehensibile illud arcanum, atq; ignoratio.*

IN CAPVT. 4.

¶ *Sol non occidat super iracundiam vestram*) AMB. *Episcopus in Ps. 36. Ne dum diu differs, veniat ille qui calefactum corporis somno excitare consueuit, & stimulet te: et inferat tibi cogitationes, & in secreta tui pectoris immergat; dicens: Vindica iniuriam tuam: uirum te esse cognosce.*

Nemo

¶ *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit*) MAXIM. CONST. de Charitate Cent. tertia. *Sed castigat uidelicet, & in seruitutem redigit, nibil nimis illi exhibens, præterquã uictum, & uestitum: atq; hæc sola quantũ ad uitam sustentandam exigit necessitas.* Ad hunc itaq; modum aliquis citra *affectum carnem suam amare potest: dum sicut famulam diuinarum rerũ alit, & fouet illam his tantummodo quibus eius necessitatem explere possit.*

IN EPISTOLAM AD PHILIPENSES.

IN CAPVT. 1.

¶ *Confidens hoc ipsum, quia qui incæpit in nobis opus bonum, perficiet usq; in diem Christi Iesu*) CONC. ARAVSICANVM Can. 5. *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsum credulitatis affectum, quo in eũ credimus qui iustificat impium, & ad regenerationẽ baptismatis peruenimus, non per gratiæ donũ, id est per inspirationem* Spiritus *sancti corrigentem uoluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis inesse dicit,* Apostolicis *dogmatibus aduersarius approbatur, beato* Paulo *dicente: Confidimus quia qui cœpit in uobis bonum opus &c.* Et *illud:* Vobis *datum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Et, *Gratia salui facti estis per fidem, non ex uobis,* Dei *enim donum est.* Qui *enim fidem, qua in* Deum *credimus, dicit esse naturalem, omnes eos, qui ab* Ecclesia *Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse diffiniuit.*

¶ *Mihi enim uiuere Christus est, & mori lucrũ*) CYP. de Mortalitate. *Lucrũ maximum computans iam seculi laqueis non teneri, iam nullis peccatis, & uitijs carnis obnoxium fieri, exemptum pressuris angentibus, & uenenatis diaboli faucibus liberatum, ad lætitiam salutis æternæ Christo uocante proficisci.*

IN CAPVT. 2.

¶ *Qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualẽ* Deo *&c.*) AGNELLVS ad Arminiũ de ratione Fidei. *Apostolus* Paulus *duas formas æquales in* Patre, *&* Filio *posuit, ut æqualitatẽ exprimeret.* Dicit. n *sic de* Filio: *Qui quũ in forma* Dei *esset &c.* Vides *formam, et formam, et æqualitatem Apostolica auctoritate declaratam.* AMB lib. *septimo epist.* 47. *Quid est,* In Dei *forma, nisi in plenitudine diuinitatis, in illa perfectionis diuinæ*

expressione? Ergo quum esset in plenitudine diuinitatis exinaniuit se, et accepit plenitudinem naturæ, & perfectionis humanæ: sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consumationi, ut esset perfectus in utraque forma. IDEM. *de Spiritu sancto libro primo cap septimo. Semet ipsum exinaniuit, ut nos cũ nostris animis percipere possemus. Exinaniuit autem non quod ipse esset uacuus suæ plenitudinis, sed quo mihi qui plenitudinem eius sustinere non possem, pro eo quod capere possem, infunderetur.* IDEM *in Ps. 118. Serm. 18. Non te moueat quia scriptum est, vt homo, Non enim similitudinem suscepit hominis, sed veritatem. Nam ipse Apostolus ait alibi: Mediator Dei, & hominũ homo Christus Iesus.* ANTONIVS. *Epist. 3. Sed vnusquisq; nostrum vendidit semet ipsum propriis uoluptatibus in mala, & ipsis seruus addictus ẽ, ob quæ ipse Iesus exinaniuit semet ipsum à gloria formam serui accipiens, ut illius seruitus nos liberaret. stulti fuimus, et in stultitia nostra facinus gessimus: assumpsit ille habitus stultitiæ, ut nos faceret sapientes. Inopes eramus, & in paupertate nostra omnis defecerat uigor à nobis: item ille ob hæc assumpsit inopiæ formam, ut paupertate sua nos in omni sapientia, & intellectu ditaret. Nõ solum autem hæc, sed insuper & infirmitatis nostræ figuram assumpsit, ut propria infirmitate nos robustos efficeret: obediens factus Patri in omnibus usq; ad mortem, mortem autem crucis; ut in sua morte, & humilitate illam cunctorum resurrectionem efficeret: eumq; destrueret, qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum.*

IN CAPVT. 3.

Videte canes, uidete malos operarios) CONC. TRIBVRIENSE *Can. 31. Canes vorauit hæreticos, quod non habent verecundiam; malos operarios, quia nulla faciunt quæ pietati conueniunt.*

Qui spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu, & non in carne fiduciam habentes) DID. *3. de Spiritu sancto. Qui enim non litera carnem concidunt, sed cor spiritu circuncidunt, auferentes omne eius superfluum, quod generationi proximum est, & amicum, hi uerò Spiritu circuncisi sunt in occulto Iudæi, & vere Israelitæ, in quibus non est dolus: qui transcendentes umbras, & imagines ueteris Testamenti, cultores ueri adorant Patrem in spiritu: quia corporalia, & humilia transcenderunt. In ueritate, quia typos, & umbras, & exemplaria relinquentes, ad ipsius ueritatis uenere substantiãtet (ut iam diximus) humili, & corporea verborum simplicitate contempta ad spiritalem legis notitiam peruenerunt.*

IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES
IN CAPVT. 2.

¶ *In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*) CASSIOD. *in* Ps. 30. *Cæterum in illo semper fuit omnipotentia singularis, & diuina plenitudo mirabilis, sicut Apostolus dicit: In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, id est substantialiter, & manifeste. diuinitas enim esse non potest corporalis.* MAXENT. *contra Nestorianos libro secundo. Et habitat plenitudo diuinitatis in Christo, & non inhabitat in Christo Trinitas, ne sit non Trinitas, sed Quaternitas.* Nam *cum nullo dubitante Pater, & filius, et Spiritus sanctus sit Trinitas, ideo non Trinitatem* Paulus *in Christo docet inhabitare, dicens, Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: sed* Patrem *in Christo docet inhabitare.* ET *Paulo post. Restat ut non sit contrarium, immo potius ualde congruum veritati,* Patrem *plenitudinem intelligere diuinitatis: quia sicut ipse plenitudo sua est, similiter & Filius plenitudo, & Spiritus sanctus plenitudo, & simul omnes, hoc est tota Trinitas, non tres, sed una est plenitudo diuinitatis. quia & perfectus Pater, & perfectus Filius, & perfectus Spiritus sanctus: & simul omnes non tres perfectiones, sed vna perfectio. Si enim Filius, sicut de eo testificatur Ioannes, dicitur plenitudo: Nos, inquit, omnes de plenitudine eius accepimus, quomodo Pater negandus est esse plenitudo?*

IN EPISTOLAM AD THESSALONICENSES PROREM.
IN CAPVT. 3.

¶ *Vos autem Dominus multiplicet &c.*) BAS. *de Spiritu sancto cap.* 21. *Quem Dominū optat coram Deo, et Patre nostro in aduentu Domini nostri irreprehensibilia fidelium Thessalonicensium corda confirmata in sanctitate constabilire? respondeāt nobis, qui cum ministratorijs spiritibus, qui mittuntur ad ministerium, collocant Spiritum sanctum? At non habent quod respondeant.*

IN CAPVT. 4.

¶ *Nos qui uiuimus, qui residui sumus in aduentu Domini non præueniemus eos qui dormierunt &c.*) GREG. NYSS. *de creatione hominis cap.* 23 *Quum enim plenitudo (ut arbitror) humanæ naturæ iuxta præscitum à Deo modum ad suos venerit terminos, quibus ad incrementum numeri animas*

rum nihil ulterius desit, in momento temporis eorum quæ sunt commutationem fieri docuit, momentum nominans, & ictum oculi, illius temporis indiuiduũ & sine ulla distantia terminum. Ita ut nequaquã possibile sit iuxta nouissimũ, & supremum quicquã plus celeritatis accedere. Propter quod multa pars extremitati relinquetur, quæ hanc circumactam commutationem in morte possideat: sed mox ut resurrectionis insonuerit tuba, quæ tunc excitatura est mortuos, & his, qui in uita reperti fuerint iuxta similitudinem eorum, qui de mortuis resurrexerint, immutatis, ad incorruptionem pariter uenient: ut iam nequaquam deorsum premantur corporeo pondere, nec eos moles terrena detineat, sed sublimiter in aera perferantur.

IN CAPVT. 5.

Sine intermissione orate) MAXIM. CONST. *de Charitate Cent. secunda. Summum orandi modum, & perfectissimum hunc esse dicunt: quando animus extra carnem, & mundum positus, atq; ab omnibus rebus quæ materiæ participes sunt, earundemq; figuris remotus, orat. Itaq; qui hunc illæsum orandi modum obseruat, ille reuera sine intermissione orat.*

Spiritum nolite extinguere) HESYCH. *in Leuit. libro secundo. Oportet quippe eum, qui holocaustum, id est perfectæ sapientiæ operationem debet, semper accendere ignem sancti Spiritus, & non sinere extingui. Extinguitur autem ex eorum quibus donatus est negligentia. Propter quod & Paulus ait: Spiritum nolite extinguere. Velut in nostra potestate sit positum extinguere illum, siue accendere.*

Vt integer Spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduẽtu Domini nostri Iesu Christi seruetur) DID. *de Spiritu sancto libro tertio. Sicut enim aliud est anima, & corpus aliud, sic & aliud est Spiritus ab anima, quæ suo loco specialiter nominatur. de quo & orauit Apostolus, ut integer seruetur cum anima & corpore. Quia incredibile est atq; blasphemum orare Apostolum ut Spiritus sanctus integer seruetur, qui nec immutationem potest recipere, nec profectum. De humano ergo (ut diximus) Spiritu in hoc loco Apostoli sermo testatus est.* GREG. NYSS. *libro de creatione hominis cap. octauo. Nam & Apostolum tale aliquid cognoscimus intimare, ubi pro Thessalonicensibus orans ait: Ipse autem Deus pacis sanctificet uos per omnia, ut integer Spiritus uester, & anima, & corpus sine querela in aduentum domini nostri Iesu Christi seruetur. Pro nutribili parte, corpus, pro sensibili animam, pro intellectuali, Spiritum ponens.*

IN EPISTOLAM AD THESSALONICENSES POSTERIOREM.

IN CAPVT. 2.

Tantum ut qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat) TERTVLL. *libro de resurrectione carnis. Quis? nisi Romanus status, cuius abscessio in decem reges dispersa Antichristum superducet: & tunc reuelabitur iniquus.*

IN EPISTOLAM PRIOREM AD TIMOTHEVM.

IN CAPVT. 1.

Charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta) GEL. I. *Pont. epist. ad Anastasium Augustum. Quomodo (quæso te) de corde erit puro, si contagio inficiatur externo? Quomodo de conscientia bona, si prauis fuerit, malisq; commista? Quemadmodum fide non ficta, si maneat sociata cum perfidis?*

Regi sæculorum immortali, & inuisibili) DION. AR. *de diuinis nominibus cap. 5. Iccirco etiam Rex sæculorum dicitur, ut in quo, & circa quem totum esse, & ens, subsistensq; versetur.* IDEM *cap. septimo. Non modo quia humana mens omnis firmitati, & stabilitati diuinarum, perfectissimarumq; intelligentiarum, uerum etiam, quia Theologis vsitatum est passione reciproca in Deo quæ priuationis sunt affirmare. Ita & Inuisibilem dicunt eo quia clarissimam lucem.*

IN CAPVT. 2.

Volo ergo uiros orare in omni loco) AMB. *de sacramentis libro sexto cap quarto. Qua ratione uiros dixit? Vtiq; communis oratio est & mulieribus, & uiris. Quod non inuenio, nisi forte sanctus Apostolus ideo uiros dixit, ne mulieres usurparent, & male intelligerent in omni loco, & inciperent, ubiq; clamare, quas in ecclesia sustinere non possumus. Volo autem uiros, hoc est qui possint seruare præceptum, orare in omni loco, leuantes puras manus.*

IN CAPVT. 13.

Non uinolentū, non percussorē) CANON. APOST. 42. *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aleæ, atq; ebrietati deseruiens, aut desinat, aut*

certe deponatur. ITEM CAN. 28. *Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum percutientem fideles delinquentes, aut infideles inique agentes, & per huiusmodi volentem timeri, deijci ab officio suo præcipimus: quia nusq; nos hoc Dominus docuit. E contrario uero ipse quum percuteretur, non repercutiebat: quum malediceretur, non remaledicebat, quum pateretur non comminabatur.* HIER. *in Esaiam cap. 58. Vnde Episcopus non debet esse percussor. Quomodo enim potest libidinem refrenare, qui nec manum ualet cohibere, nec linguam?*

(Non neophytum, ne in Superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli) CONC. SARDICENSE Can. 13. *Et hoc necessarium arbitror, ut diligentissime tractetis, si forte aut diues, aut scholasticus de foro, aut ex administratore Episcopus fuerit postulatus, ut non prius ordinetur, nisi ante & lectoris munere, & officio Diaconi, aut Presbyteri fuerit perfunctus: & ita per singulos gradus (si dignus fuerit) ascendat ad culmen Episcopatus. Potest enim per has promotiones, quæ habebunt utique prolixum tempus, probari qua fide sit, qua ue modestia, qua grauitate, et uerecundia. Et si dignus fuerit probatus, diuino sacerdotio illustretur. Quia conueniens non est, nec ratio, uel disciplina patitur, ut temere, & leuiter ordinetur aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui neophytus est: maxime cum & magister gentium beatus Apostolus ne hoc fieret denunciasse, & prohibuisse uideatur: sed hi quorum per longum tempus examinata sit uita, & merita fuerint comprobata.* MARTIN. *Bracarensis episcopus libro excerptorum ex synodis Orientalium Canone. 22. Neophytus si baptizatus fuerit iam ætate legitima non continuo licebit eum ad ecclesiasticum ordinem promoueri, quia oportet illum prius doceri, quod possit docere, & multo tẽpore post baptismũ probari: ut bene probatus ueniat ad clerũ, secundũ præceptũ Apostoli dicentis: Non neophytũ.* HIER. *in Esaiam cap. 3. Putet aliquis & illud quod Apostolus prohibet Episcopum fieri neophytum, ad hoc pertinere, quia paruulus in fide est, ne elatus in superbia, incidat in iudicium diaboli. Iudicium autem diaboli nullum est aliud nisi superbia, propter quam de cœlestibus decidit. Vnde & Saluator loquitur: Videbam Satanam quasi fulgur cadentem de cælo.* CHRYSOST. *in illud, Eleuatum est cor Oziæ. Quid igitur ait Paulus Timotheo scribens? Quod qui nuper professus est Euangelium; eum non oportet ad summã Episcopi dignitatem euehi. Ita ferme loquitur. Nõ neophytũ, ne inflatus incidat in iudicium diaboli. Ne eadem, inquit, peccans cum illo, eadem cum illo patiatur.*

IN CAPVT. 4.

¶ Exerce te ipsum ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est) MAXIM. CONST. *de Charitate Cent. 4.* Ne *omne otium tuum impendas carni, sed definito illi quam potes exercitationẽ: et totam mentem ad interiora conuerte. Siquidem corporalis exercitatio ad modicum vtilis est &c.*

¶ Attende lectioni &c.) CONC. TOLET. 4. *Canone.* 24. *Ignorantia mater cunctorum errorum maxime in Sacerdotibus* Dei *uitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sanctas scripturas frequenter admonet* Paulus Apostolus *dicens ad Timotheum: Intende lectioni, & exhortationi, doctrinæ quoq; & semper permane in his. Sciant igitur Sacerdotes scripturas sanctas, & Canones meditentur, ut omne opus eorum in prædicatione diuina, & doctrina consistat. atq; ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.*

IN CAPVT. 5.

¶ Manus cito nemini imposueris, neq; communicaueris peccatis alienis) SIRITIVS Pont. Epist. *3. Quod propterea memoratur, ut examine habito, & probitate morum, & ecclesiastico labore sit cõmendatior, qui vocatur in medium, ut summum Sacerdotium possit accipere, probatus iudicio, nõ fauore susceptus, ueritate non gratia, Apostolico ordine functus, non præcipiti uolũtate.* LEO. I. Pont. Epist. *85. Vbi ẽ illa beati* Pauli Apostoli *per Spiritum* Dei *emissa præceptio, qua in persona Timothei omniũ sacerdotũ Christi numerus eruditur, & perinde vnicuiq; nostrum dicitur, Manus cito nemini imposueris, neq; communicaueris peccatis alienis? Quid est cito manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis ille est, qui non meruit ordinari?*

IN CAPVT. 6.

¶ Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & laqueum diaboli) AMB. *in* Ps. *118. Serm. 14. Aduertis laqueum diaboli esse diuitias, quem tetendit etiam Saluatori? Sed ille qui nihil habuit quod posset princeps istius mundi ueniens suum dicere, laqueorum eius uincula dissoluit. Ac ne mediocrem hunc putes, hic laqueus Iudam strangulauit.*

❡ O Timothee depositum custodi deuitans profanas uocum nouitates) VINCENT. aduersus profanas omnium hæresum nouationes. Quid est depositum custodi? Custodi, inquit, propter fures, propter inimicos, ne dormientibus hominibus superseminent zizania super illud tritici bonum semen quod seminauerat filius hominis in agro suo. Depositum, inquit, custodi. Quid est depositum? id est quod tibi creditum est, non quod à te inuentum: quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenij, sed doctrinæ: non vsurpationis priuatæ, sed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam, in qua nō auctor debes esse, sed custos: non institutor, sed sectator: non ducens, sed sequens. Depositum, inquit, custodi. Catholicæ fidei talentum illibatum, inuiolatumq; conserua. Quod tibi creditum est, hoc penes te maneat, hoc à te traditur. Aurum accepisti, aurum redde. Nolo mihi pro alijs alia subijcias. Nolo pro auro aut impudenter plumbum, aut fraudulenter æramēta supponas. Nolo auri speciem, sed naturam plane. ET infra. Deuita, inquit, quasi Viperam, quasi scorpionem, quasi Basiliscum, ne te non solum tactu, sed etiam uisu, afflatu'q; percutiant. ITEM. Quid est profanas? Quæ nihil habent sacri, nihil religiosi, ab Ecclesiæ penetralibus, quæ est templum Dei, penitus extraneis. Profanas, inquit, uocum nouitates. Vocum, id est dogmatum, rerum, sententiarum nouitates, quæ sunt uetustati, quæ antiquitati contraria. Quæ si recipiantur, necesse est, ut fides beatorum Patrum, aut tota, aut certe magna ex parte uioletur.

IN EPISTOLAM POSTERIOREM AD TIMOTHEVM.

IN CAPVT. 3.

❡ Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus) CONC. VORMATIENSE. Can. 57. Item placuit ut Episcopi, Presbyteri, & Diacones non sint conductores, aut procuratores, neq; ullo turpi negotio, & inhonesto uictum quærant: quia respicere debent scriptum esse. Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus.

❡ Ille fidelis permanet: se ipsum negare non potest) DION. AR. de diuinis nominibus cap. octauo. Nempe enim se ipsum negare, à ueritate decidere est, porro ueritas ens est: et à ueritate cadere, ab ente est cadere. Si igitur ueritas Ens est: ueritatis'q; negatio, est ab ente prolapsio, ab Ente cadere Deus non potest: et non esse non est, ut ita dicam, et non posse non potest: et non cognoscere secundum priuationem non nouit.

Arg

Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina) PROSP. *de Vita contemplatiua lib* 2. *cap. quinto*. *Argue coæquales, obsecra seniores, increpa iuniores*. *Sed propterea addidit: in omni patientia, & doctrina: quia leniter castigatus exhibet reuerentiā castigāti: asperitate autē nimiæ increpationis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem*. PALLAD. *in vita Chrysostomi*. Nemo autem obijciat cur duo aspera, unum bla[ndum], ipsumq; uix, et cunctando posuerit. Argue enim, & Increpa, cum sint uehementer acria, ex eo quod additur, Obsecra, & non, Blandire, nihil amisere uirium. Id quippe scite factum: uoluptati deditis, & laxe uiuentibus acrius est eis quoq; increpationibus, quæ grauiores, & molestiores esse putantur. Illic enim fortassis indignatione quadam obsistens anima, quæ in reprehensione dicuntur minime sentit: hic vero sensim, atq; paulatim modestis, uerisq; sermonibus quasi admoto lēto quodam igne, percutitur, atq; dissecatur.

IN EPISTOLAM AD TITVM.

IN CAPVT. 3.

Et delinquit proprio iudicio condemnatus) MAXIM. TAVR. *de accusato, & iudicato Domino apud Pilatum hom.* 2. *Ipse enim se damnat hæreticum, quum de ecclesia ipse se proijcit, & de coetu sanctorum nullo compellente procedit. Ipse enim ostendit quid mereatur à cunctis, qui suo iudicio separatur à cunctis. Ipse, inquam, se damnat hæreticus, quia cum omnes criminosi Episcopi sententia proijciantur de consortio Christiano, hæreticus cuncta præueniens, sententia suæ uoluntatis abijcitur.*

IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

Paulus vinctus Iesu Christi) CHRYSOST. *hom.* 16. *ad populum Antiochenum. Magnum Pauli oraculum, non principatus, & honoris nomen, sed vincula, & catenæ. Vere magnum, atq; multa ipsum alia splēdidum faciunt, in cælum rapi tertium, in paradisum deferri uerba, audire ineffabilia. sed horum nil posuit, sed pro omnibus catenam: hæc enim magis quam illa illustrem reddebat & splendidum.*

Sine consilio autem tuo nihil uolui facere, uti ne uelut ex necessitate bonum tuum esset, sed uoluntarium) AMB. *in Ps.* 118. *Serm.* 14. *Quam sedulus, qui cum esset uas electionis diuinæ, consortium consilij non dedignabatur alieni: ne alterum fructu uoluntatis propriæ defraudaret.*

HIER. *in epist. ad Galatas cap. primo*. *Et in Epistola ad Hebræos intelli gere possumus propterea Paulum solita consuetudine nomen suum, nec Aposto li uocabulum præposuisse, quia de Christo erat dicturus: Habentes ergo prin cipem sacerdotum, & apostolum confessionis nostræ Iesum: nec fuisse con= gruum, ut ubi Christus, Apostolus dicendus erat, ibi etiam Paulus Aposto= lus poneretur.*

IN CAPVT. I.

Cui enim Angelorum dixit aliquando, Sede à dextris meis? Nonne omnes sunt administratorij Spiritus in ministerium missi?) DID. *de Spiritu sancto libro primo*. *Hoc enim quod ait: Cui Angelorum: æque accipitur, ac si dice= ret, nulli: per Angelicum nomē significans omnium substantiam inuisibilium creaturarum. Neq; enim ulli quidem angelorum, & aliæ cuidam rationabi li creaturæ dixit Deus, sede à dextris meis. In commune itaq; sermo pronun= ciat, non esse dictum cuiquā creaturæ, sede à dextris meis. Et hoc in com= mune de creatura. Et pronuncians de omnibus inuisibilibus creaturis, ait eas esse administratores spiritus, propter quod subiecit. Non ne omnes sunt admi nistratores Spiritus in ministerium missi? Licet enim non omnes singillatim in uisibiles creaturæ missæ sint, tamen quia eiusdem generis, & honoris aliæ mis sæ sunt, quodammodo & ipsæ possibilitate sunt missæ, missarum consortes, æqualisq; substantiæ.*

IN CAPVT. 2.

Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem) HIER. *in Epist. ad Galat. libro secundo cap. 3. Nec hoc ex meo sensu dictum putetis, scriptura testis est, quia Christus gratia Dei: siue, (ut in quibusdam exemplaribus græcis legitur) absq; Deo pro omnibus mortuus est.* AMB. *Episc. de Fide libro quinto cap. 4. Quod incarnationis Dei mysterium vniuersæ salus est creaturæ, secundum quod scriptum est: Vt sine Deo pro omnibus gustaret mortem. Id est, quod crea tura omnis sine passione aliqua Diuinitatis, Dominici sanguinis redimenda sit prætio.* VIGIL. *libro secundo contra Eutychē. Quid est igitur sine Deo gustare mortem? nisi quia Verbum immortale est, & passio secundum car= nem est. Vnde & Petrus Apost. ait: Christo itaq; passo carne.* FVLG. *libro tertio de sacramento Dominicæ passionis. sine Deo igitur homo ille gu=*

stauit mortem, quantum ad conditionem attinet carnis: non autem sine Deo, quantum ad susceptionem pertinet Deitatis. AVCTOR. *Varietas interpretationis sine dubio accidit ex varietate græcæ lectionis.* Nam *si* χάριτι *legas, Gratia sonat: sin* χωρὶς, *sine, & absq; significat.*

¶ *Nusq; enim Angelos apprehendit sed semen Abrahæ apprehendit)* THEODOR. *Dialogo primo cõtra hæreses. Propemodum dicens, Vera est promissio: imposuit Deus finẽ promissionibus: apertus est gentibus fons benedictus. Deus semen Abrahæ apprehendit: per eum superius promissam salutem procurat: per eum gentium expectationem confirmat.*

IN CAPVT. 5.

¶ *Et quidem cum esset filius* Dei, *didicit ex his quæ passus est obedientiam)* ANSEL. *libro primo cur* Deus *homo, Cap. nono. Id est quo usq; debeat seruari obedientia. Verbum autem quod propositum est,* Didicit, *duobus modis intelligi potest. Aut enim,* Didicit, *dictum est pro eo quod est, alios discere fecit: aut quia quod per scientiam non ignorabat, experimento didicit.* RIC. VICT. *libro primo de* Emmanuele *cap. 16. Sed quod dictum est, nostrum puerum didicisse reprobare malum, & eligere bonum, non sic accipere oportet, quasi scientiam illam, quæ per experientiam est, ex sola comestione obtinuisset; nam &* Apostolus *dicit, quia in his, quæ passus est, obedientiam didicerit. sed nunquid ex his tantum quæ passus est, & non etiam ex his, que per semetipsum operatus est? immo certe & ex his, & ex illis. Quia in utrisq; executus est non uoluntatem suam, sed uoluntatem* Patris.

¶ *Et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo)* DION. AR. *epist. nona.* Arbitror *itaq; solidum cibum intellectualis, perseuerantisq; perfectionis, atq; identitatis significationem præferre: per quam intellectuales illi sensus secundum stantem, ac potentissimam, & singularem, indiuiduamq; scientiã diuina participant. Quibus beatissimus* Paulus *solidi veraciter cibi à sapientia accepti consortium, & participium tradit. Porro liquidum cibum inundantiã illam large manantem, atq; ad omnia prodire festinantem, sed adhuc per varia, & plurima, atq; diuidua ad simplicem, & fixam, atq; constantem* Dei *scientiam eos, quos alit, pro captu, ac modo singulorum bonitate præcipua manuducentem, signare certum est. Idcirco diuina, ac spiritualia eloquia, & rori, et aquæ, & lacti, & uino, ac melli merito assimilantur, quod & uiuificandi, atq; fœcundandi, uelut in aqua, & ad incrementum producendi, ut in lacte, & recreandi, ut in vino, & purgandi simul, atq; conseruandi, ueluti in melle habeant.*

¶ *Et sanguinis effusionem melius loquentem, quam* Abel.) CYP. *de dupli ci martyrio.* Siquidē *ille clamās de terra loquebatur uindictā: at Christi sanguis de cruce clamans pacem loquitur, & reconciliationem. Quin idem sanguis quo niam à nobis bibitur (si modo digne bibitur) clamat in cordibus nostris uerba pacifica, & solatij plena.* Et illic *triplex testimonium, licet spirituali quodā modo,* Clamat Spiritus, *qui nobis arrhabonis loco datus est,* Abba Pater, *testificans quod sumus filij* Dei. *Clamat aqua, per quam renati sumus, quod cō donata sunt nobis omnia peccata. Et si quis adhuc dubitat, accedit sanguinis testimonium.*

IN CAPVT. 13.

¶ *Iesus Christus heri, & hodie, ipse & in sæcula)* AMB. Episcopus de Fide *libro quinto cap. secundo. Est, inquit, non solum nomine, hoc est sed etiam ueritate.* Et *bene scriptum est:* Heri, *& hodie ipse est: ut* Arij *impietas astruē di sacrilegij locum inuenire non posset. Qui quum legeret in* Psalmo *secundo dicentem* Filio *Patrem,* Filius *meus es tu: ego hodie genui te: annotauit hodie nō heri, ad æternitatem diuinæ generationis referens, quod de carnis assumptione memoratum est. Sancto igitur* Spiritu *repletus* Apostolus, *ut illam eliderct sæuitatem, ait:* Heri, *& hodie ipse est, & in sæcula.* Heri, *propter æternitatem, hodie, propter corporis susceptionem.*

¶ Beneficentiæ *autem & communionis nolite obliuisci)* AGAP. *de Officio* Regis *ad* Iustinianū Imp. *Super aurum, & lapidem prætiosum beneficē tiæ diuitias ueluti thesaurum recōdamus. Illæ nanq; tum in præsenti uita oblectant spe futuræ fruitionis, tum in futura dulcedinem afferunt, experimento, gustatu'q; speratæ beatitudinis. Quæ uero nunc circa nos apparent tanquam nihil ad nos pertinentia non nos nimium allectent.*

IN EPISTOLAS CATHOLICAS.

IN EPISTOLAM IACOBI APOSTOLI.

IN CAPVT. 1.

¶ *Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua, diues autem in humilitate sua)* RABAN. *in* Ecclesiasticum *cap. 3. Quia omnis qui aduersa pro* Domino *humiliter suffert, sublimiter ab illo regni præmia percipiet: econ trario autem diues in humilitate sua glorietur: quod per ironiam dicitur, quan*

do gloriam suam, qua de diuitijs superbiebat, & pauperes despiciebat, aut etiam opprimebat, perpetua pœna finitam esse conspexerit.

IN CAPVT. 3.

Et inflammat rotam natiuitatis nostræ) ANTIOCH. *hom*. 30. *Liquet per hoc intelligi temporariæ istius vitæ momenta quibus ipsa sursum deorsum prouoluitur. Quid enim hominis uita aliud quã rota, quæ perpeti rotatu uersatur? Sed & eadem inflammatur à geenna.*

IN CAPVT. 5.

Infirmatur quis in uobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, *& orent super eum, ungentes eum oleo in nomine* Domini) INNOCENT. I. Pont, Decreto *octauo. Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, uel intelligi debere, qui sancto* Oleo *Chrismatis perungi possunt, quo ab* Episcopo *confecto, non solum sacerdotibus, sed omnibus vti Christianis licet in sua, aut suorum necessitate inungendo. Cæterum illud superfluum videmus adiectum, ut de* Episcopo *ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est.* Nam *id circo de* Presbyteris *dictum est, quia* Episcopi *occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum si* Episcopus *aut potest, aut dignũ ducit aliquem à se uisitandum, & benedicere, & tangere sine cunctatione potest, cuius est ipsum Chrisma conficere.*

IN EPISTOLAM PRIOREM PETRI APOSTOLI.

IN CAPVT. 3.

Quod & nos nunc similis formæ saluos facit Baptisma) CYP. *ad* Pompeium *contra epistolam* Stephani. *Quam breui, &* Spirituali *compendio unitatis sacramentum manifestauit.* Nam *ut in illo mundi baptismo, quo iniquitas antiqua purgata est, qui in arca* Noe *non fuit, non potuit per aquam saluus fieri, ita nec nunc potest per baptismum saluus uideri, qui baptizatus in* Ecclesia *non est, quæ ad arcæ huius sacramentum dominica unitate fundata est.*

IN EPISTOLAM PRIOREM PETRI APOSTOLI.

IN CAPVT. 2.

¶ *Et iustum Loth)* CLIM. *cap. quarto. Qui soliciti, ac studiosi sunt, se ipsos cautissime attendant: ne dum negligentiores quosq; iudicant, seuerius quã illi condemnentur. Idcirco enim, ut reor, iustificatus est Loth, quod cum in flagitiosorum medio uersaretur, nunquam illos penitus iudicasse deprehẽsus est.*

IN CAPVT. 3.

¶ *Et terra de aqua, & per aquam consistens* Dei *uerbo)* IVNIL. *in Genesim*. Nam *& ipsa terra præcipuam habet cognationem cum aquis, ut pote quæ sine harum succo, & irrigatione non solum fructificare, sed & nec ipsa consistere possit:* Petro *attestante, qui ait: Quia cœli erant prius, & terra de aqua.*

IN EPISTOLAM PRIMAM IOANNIS APOSTOLI.

HYGIN. *primus* Pont. *Epistola priore de* Fide *ad uniuersos Christianos*. *Et iterum ipse ad* Parthos: *Tres sunt, inquit, qui testimonium perhibent in terra, Spiritus, aqua, & sanguis.* AVCTOR. *Idem ad verbum habes in epistola Iohannis secundi*. Pont. *ad* Valerium Episcopum.

IN CAPVT. 1.

¶ *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus: & ueritas in nobis nõ est.* CONC. MILEVIT. Can. *sexto. Item placuit, quod ait sanctus* Ioannes Apostolus: *Si dixerimus quia peccatum non habemus &c. quisquis sic accipiendum putauerit, ut dicat propter humilitatem non oportere dici, nos non habere peccatum, non quia veritas est, anathema sit. Sequitur enim* Apostolus, *& adiungit: Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & iustus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. Vbi satis apparet, hoc non tantum humiliter, sed etiam veraciter dici.* Poterat *enim* Apostolus *dicere: si dixerimus quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est. Sed quum ait: Nos ipsos decipimus, & ueritas in nobis non est: satis ostendit eum, qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum.*

¶ Scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus) AMB. in epist. ad Rom. cap. septimo. Tunc nos feliciter dicit posse resurgere, si similitudini mortis eius fuerimus complantati: id est si in baptismo omnia vitia deponentes, in nouam uitam translati de cætero non peccemus; per quod simul & resurrectionis illius similes erimus. Similitudo enim mortis similem præstabit resurrectionem. Quod in epistola sua Ioannes Apostolus memorat dicens: Scimus quod quum apparuerit, similes ei erimus. hoc est immortalem, & gloriosum resurgere. Non enim hæc erit similitudo ut nihil distet: quia similis erit in corporis gloria, non in diuinitatis natura.

IN CAPVT. 4.

¶ Nolite omni Spiritui credere: sed probate Spiritus si ex Deo sunt.) AMB. Episcopus in Epist. primã ad Thess. cap. quinto. Quia si multa bona dicat, in aliquo autem quod fidei aduersum est promat, sciatur non esse Spiritus sanctus. Nihil enim erroris in Spiritu sancto poterit reperiri. Sed aut per exercitium eloquij quædam spiritualia, quædam uero carnalia: quia omnis error carni deputatur, aut certe commento quodã astutiæ bona fingit, ut his inferat mala. ¶ Omnis Spiritus qui soluit Iesum Christum, ex Deo non est) LEO. I. Pont. ad Flauianum episc. Const. Quid est autem soluere Iesum, nisi humanam ab eo separare naturam? Sacramentumq́; per quod unum saluati sumus, impudentissimis euacuare figmentis? SOCRATES historiæ ecclesiasticæ libro septimo cap. 31. Tripartitæ uero historiæ libro 12. cap. quarto. Et hoc passum Nestorium, quod decenter non esset eruditus. Qui dum naturaliter eloquens fuisset, se putabat doctum, & libris antiquorum interpretum dedignabatur incumbere, omnibusq́; se meliorem putabat esse: ignorans quod in catholica Ioannis epistola in antiquis exemplaribus habeatur: Omnis Spiritus qui soluit Iesum, à Deo non est. Hunc enim sensum ex veteribus exemplaribus abstulerunt, qui separare volunt ab hominis dispensatione diuinitatem. Quapropter veteres interpretes hoc ipsum designauerunt, quod aliqui adulterarint hanc epistolam, soluere hominem a Deo volentes. Est enim humanitas copulata diuinitati; & iam non sunt duo, sed unum.

IN CAPVT. 5.

Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: et hi tres vnum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra,

Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt (CYP. *de simplicitate prælatorum. & iterum de Patre, & filio, & Spiritusancto scriptum est:* Et *tres unum sunt. Et quisquam credit hanc unitatem de diuina firmitate uenientem, sacramentis cælestibus cohærentem, scindi in ecclesia posse, & voluntate collidentium diuortio separari?* IDEM *de duplici martyrio. Commemorat & Ioannes Euangelista triplex in terra testimonium, Spiritus, aquæ, & sanguinis: quod efficacissimum est postremo recensens loco. Spiritum in columbæ specie descendentem super Iesum videre meruit Ioannes Baptista, an alij uiderint, incertum. certe hoc testimonium Ioanni datum est, quo desineret dubitare de Domino Iesu an ille esset, qui baptizaret Spiritu, & igni. Aquæ testimonium uidit Ioannes Euangelista: nec satis constat, solus ne uiderit, an cũ multis. Erat quidem hoc ingens mysterium sacri lauacri quo delentur peccata: sed uidit aquam simul effluere cum sanguine, qui nisi affuisset, inefficax erat aqua. Quid enim prodest aboleri peccata, nisi succedat vita iustitiæ, quam cõfert sanguis? Quanquã hi tres vnum sunt. Vnus enim Deus est, qui per Spiritum, aquam, & sanguinem declarat hominum generi virtutem, ac bonitatem suam. Aut ideo dicuntur unum esse, quoniam undiq; sibi constat testimonium: nec ulla ex parte dissonat.* VICTOR VTIC. *libro secundo. Et ut adhuc luce clarius vnius diuinitatis esse cum Patre, & Filio Spiritum sanctum doceamus, Ioannis Euangelistæ testimonio comprobatur. Ait nanq;* Tres *sunt &c. Nunquid ait, tres indifferenti æqualitate sciuncti? aut quibuslibet diuersitatum gradibus longo separationis interuallo diuisi? sed, Tres, inquit, vnum sunt.* LEO I. Pont. *Epistola.* 10. *Spiritus vtiq; sanctificationis, & sanguis redemptionis, & aqua baptismatis: quæ tria unum sunt, & indiuidua manent, nihilq; eorum à sui connexione seiungitur. Quia catholica Ecclesia hac fide viuit, ac proficit, ut in Christo Iesu nec sine vera diuinitate humanitas, nec sine vera credatur humanitate diuinitas.* AMB. *Episcopus de Spiritu sancto libro primo cap sexto. Vnum in mysterio, non in natura. Aqua igitur testis est sepulturæ, sanguis testis est mortis, spiritus testis est vitæ. Siqua ergo in aqua gratia, non ex natura aquæ, sed ex præsentia est Spiritus sancti.* IDEM *lib.* 3 *cap.* 11. *Audi quomodo testis Spiritus mentem renouat, aqua proficit ad lauacrum, sanguis spectat ad pretium. Spiritus enim nos per adoptionem filios Dei fecit, sacri fontis unda nos abluit, sanguis Domini nos redemit.* IDEM *de ijs qui mysterijs initiantur. Hinc cognosce, quod aqua non mundat sine spiritu: ideoq; legisti quod tres testes in baptismate unum sint, aqua, sanguis, & spiritus. Quia si unum horum detrahas, non stat baptismatis sacramentum. Quid est enim aqua sine cruce Christi? elementum commune sine ullo sacramenti effectu. nec iterum sine aqua regenerationis mysterium est, nisi*

est, nisi enim qui renatus fuerit ex aqua, & spiritu, nō potest introire in regnū Dei. HIER. *prologo in epistolas* Catholicas. *Quæ si sic ut ab eis digestæ sunt, ita quoq; ab interpretibus fideliter in latinum eloquium verterentur, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec sermonum sese varietas impugnaret. illo præcipue loco, ubi de* Trinitatis *unitate in prima* Ioannis *epistola positum legimus, in qua etiam ab infidelibus translatoribus multum erratum esse comperimus, trium tantūmodo uocabula, hoc est, aquæ, sanguinis, &* Spiritus *in ipsa sua edtione ponentibus, &* Patris, Verbiq; *, ac* Spiritus *testimonia omittentibus. In quo maxime & fides catholica roboratur, &* Patris, *&* Filij, *&* Spiritus *sancti una diuinitatis substantia comprobatur.*

℣ *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis*) AMB. *Episc. de pœnitentia libro primo cap. nono.* Non *enim ad* Moysen *&* Hieremiam *loquebatur, sed ad populum, qui suorum peccatorum alium precatorem deberet exhibere, cui satis est si pro leuioribus delictis* Deum *precetur, grauiorum veniā iustorum orationibus reseruandam putet.* Nam *quomodo* Ioannes *diceret non orandum pro delicto grauiore, qui legisset &* Moysen *rogasse, & impetrasse vbi erat præuaricatio uoluntaria; qui sciret etiam* Hieremiam *rogasse?*

IN EPISTOLAM SECVNDAM IOANNIS APOSTOLI.

IN CAPVT. I.

℣ Senior) AMB. *Episcopus in* Ps. 36. Et Ioannes *senex cœpit scribere* Euāgelium, *uel epistolas, qui quum refugeret* Apostolum *se scribere*, Seniorem *scripsit.* Nec *minor est æstimatus, cui Cygnea quædam suppeteret gratia senectutis.*

℣ Nec, Aue, *ei dixeritis*) IREN. *libro primo cap.* 13. *Quotquot autem absistunt ab ecclesia, & his anilibus fabulis assentiunt, uere à semet ipsis sunt dānati: quos* Paulus *iubet nobis post primam, & secundam correptionem deuitare.* Ioannes *etiam* Domini *discipulus super extendit damnationem in eos, neq;,* Aue, *nobis eis dici uolens. Qui enim dicit, inquit, eis,* Aue, *communicat operibus ipsorū nequissimis.* Et *merito, nō est. n. gaudere impijs, dicit* Dominus.

IN EPISTOLAM TERTIAM IOANNIS APOSTOLI.

IN CAPVT. I.

℣ Senior) HIER. *Epistola ad* Euagrium. Ac *ne quis contentiose in vna*

X

Ecclesia plures Episcopos fuisse contendat, audi & aliud testimonium in quo manifestissime comprobatur eundem esse Episcopum, atq; presbyterum. &c. Clangat tuba Euangelica, filius Tonitrui, quem Iesus amauit plurimum, qui de pectore Saluatoris doctrinarum fluenta potauit: Presbyter electae dominae, & filijs eius, quos ego diligo in ueritate. Et in alia Epistola: Presbyter Caio Carissimo quem ego diligo in ueritate. Carissime fideliter facis quicquid operaris in fratribus. I D E M in Epist. ad Titum cap. primo. Sed vereor ne quo modo regina Austri ueniens à finibus terrae audire scientiam Salomonis, iudicatura est homines temporis sui, & uiri Niniuitae acta poenitentia ad praedicationem Ionae condemnabunt eos qui maiorem Iona Saluatorem audire contempserunt: sic plurimi in populis Episcopos iudicant subtrahentes se ab ecclesiastico gradu, & ea quae episcopo non conueniunt exercentes. De quibus puto & Ioãnem ad Caium scribere: Carissime fideliter facis, quodcumq; operaris in fratribus, & hoc peregrinis, qui testimonium dederunt dilectioni tuae coram Ecclesia: quos optime facies, si praemiseris Deo digne: pro nomine enim Domini exierunt, nihil accipientes à gentilibus. Et vere sancto Spiritu in se loquente, quod futurum erat in Ecclesijs iã tunc reprehendit dicens: Scripsi enim Ecclesiae: sed qui primatus agere cupit eorum Diotrephes non recipit nos. Propterea quum uenero, admonebo eius opera quae facit, malis verbis detrahens de nobis. Et non sufficit ei quod ipse non recipit fratres, sed & uolentes prohibet: & de Ecclesia eijcit.

IN EPISTOLAM IVDAE APOSTOLI.

γ Angelos uero, qui non seruauerunt suum principatum) DION. AR. de Diuinis nominibus cap. quarto. Deinde quo nam modo daemones à Deo facti mali sunt? Bonum enim bona producit, et statuit. Atqui mali dicuntur, dixerit quispiam, sed non secundum quod sunt. Ex bono enim sunt, bonamq; sortiti substantiam: sed ex eo quod non sunt, quae iuxta sacra eloquia infirmati sunt ad seruandum suum principatum. In quo enim, obsecro, malos fieri daemones dicimus, nisi in vacatione diuinorum bonorum habitus, atq; operationis?

IN APOCALYPSIM IOANNIS APOSTOLI.

DION. AR. de Ecclesiastica Hierarchia cap. tertio. Omnes enim sacrae, & hagiographae literae aut earum rerum quae sunt substantiam, ac di-

stinctionem conditam narrant &c. aut arcanam, ac mysticam dilecti, atq; diui ni Discipuli uisionem.

IN CAPVT. 3.

Vtinam aut calidus esses, aut frigidus) AMB. *in* Ps. 118. Serm. *tertio.* A*perte negligentiam grauiori damnat iudicio, quam imprudentiam.* Fri*gidus est enim qui fidem nescit, calidus est, qui* Spiritus *sancti feruore succensus est. Qui enim calorem fidei non habet, tolerabilius illi fuerat fidem non accepisse, quam neglexisse.* E*st enim tepidus peior frigido, ut* Iud*æus qui sibi uidetur fidem habere, quam non habet.*

IN CAPVT. 4.

Et requiem non habebant) IVNIL. *in* Gene*sim.* Sol*et nanq; scriptura sæpe requietis nomine cessationem operis, siue sermonis indicare: sicut in* Apo*calypsi de sanctis animalibus:* Et *requiem, inquit, non habebant die, ac nocte dicentia:* Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus *omnipotens pro eo ut diceret:* Non *cessabant hæc semper decantare.* Nam Maxima *&* vnica *sanctis est requies in cælo laudem summæ* Trinitatis, *quæ* Deus *est, indefessa uoce dicere.*

FINIS.

tia, trium linguarum eruditione, diuinarum, atq; humanarum rerum cognitione, scriptionis elegantia egregie excultus, & expolitus.

QVAEST. 1. IN CAP. 1.

QVARE Elcana duas vxores habuit? Quemadmodum Lex duas pluresue vxores ducere non mandauit, eadem ratione neq; prohibuit. Id sanè quod minus malum erat permisit: ut maius fugeret, ac declinaret. Lex enim pro uiribus eam accipientium moderatissime constituta est: quemadmodum & diuinus Apostolus ait. Nihil ad perfectum adduxit Lex.

Q. 2.

Quid significat, Concluserat Dominus vuluam eius? Hisce verbis vnumquemque lectorem docet ne matrimonio fidat: sed ab omnium rerum effectore opē, auxiliumq; imploret. Vt enim Agricolæ est semina terræ mandare, Dei uero illa perficere: simili modo matrimonij maxime proprium est communicare. Dei autem naturæ ipsi assentire, & animans ipsum formare. Id quum Anna optime sciret (quamuis enim longo tempore uiro suo coniuncta fuisset, nullum tamen ex eo fructum perceperat) ad ipsum omnium rerum opificem confugit: & sollicita prece, ac lachrymis læsam vuluam curauit, clausamq; aperuit, ac patefecit.

Q. 3.

Heli Pontifex ex qua familia natus est? Ex familia Ithamar: sed ob filiorum ipsius prauitatem vniuersum illius genus maxima ex parte sacerdotali honore, ac dignitate priuatum est: quot enim nefaria scelera ausi sint historia docet.

Q. 4.

Cur Samueli adolescentulo Vniuersitatis parens sese ostendit? Vt Pontificem iam grandem natu reprehenderet, adolescentulo apparere Deus se indignum non putauit. Huiusscemodi itaq; ætati Deus canos posthabuit: eumq; qui octo & nonaginta annos natus erat, & per quadraginta duplici honore ac dignitate dignus habitus fuerat (Iudicis nanque atq; Pontificis officio ac munere functus est) omittens, cū ualde pusillo puero colloquiū fecit; nempe ut doceret quāto melior canitie sit adolescētia, ac tenera ætas virtutibus pdita, atque ornata.

Q. 5. IN CAPVT. 4.

Quæ causa fuit, cur Deus arcam bello capi permiserit? Duplicē utilitatem hoc factum attulit. Hebræos enim docuit, eos qui secundū legē vitam agunt Diuinæ puidentiæ, eos uerò qui legē uiolant externis rebus haud quaquā fidere debere.

Q. 6.

Quid est quod Heli pœnas pro filijs expendit, quum ea quæ illos decerent eos admonuerit? Non mollibus medicamētis filiorum flagitia indigebant, sed maxime acribus, & austeris. Oportebat nāq; post unam atq; alteram admonitionem in sua prauitate pertinaciter cōsistentes è sacris claustris expellere, atq; exturbare. Neq; enim ipsi tantūmodo legem uiolabant: uerum etiam alijs à lege discedendi exēpla præbebant: sed quia naturam omnium rerum cōditori antetulit, Diuino præsidio ac gratia nudatus est. Hoc ipsum nanque per Prophetam Dominus sic declarauit. Quare calce abiecistis victimam meam, & munera mea quæ præcepi ut offerrentur in templo, & magis honorasti filios tuos quam me, ut comederetis primitias omnis sacrificij Israel populi mei? & quæ sequuntur.

Q. 7.

Cur quum Deus præceperit in lege, ut uno in loco rem Diuinam facerent: Samuel tamen aram Deo consecrauit? Nondum Diuinum Templum extructum erat, & varijs, atq; diuersis in locis rem Sacram peragebant. Cæterum hinc quoq; discere licet, quod quum Deus Iudaicum populum ad impietatem propensum sciret, Diuinum cultum uno loco circumscripsit. Pijs namq; hominibus, & legis sensum ac voluntatem probè callentibus quiuis locus ad Deum colendum consecratus erat. Helias nanq; ille magnus, quum Diuinum Templum ad se omnes uocaret, in Carmelo tamen monte aram erexit: ibique sacrificium Deo fecit.

Q. 8. IN CAPVT. 8.

Quid est quod Samuel filijs eius legem uiolantibus pœnas non soluit? Iniustè non impiè sese gerebant: neq; enim matrimonij vincula rumpebāt: atque id genus libidinosis facinoribus Diuinum tabernaculum polluebāt: neq; vitio uentris ac gutturis Sacrificiorum ordinem perturbantes in primis operam dabant. Historia tantummodo illos accusat, quod munera acciperent. Quæ quidem omnia patre Propheta inscio gerebantur: longe enim ab eis uitam agebat: Ipse namq; Armathaim, illi vero Bersabee habitabant.

Q. 9.

Cur Samuel ob petitum à populo Regem dolore affectus est? Quia præter Diuinam legem ea petitio fuit: summus enim Rector & Dei, & Regis pariter officio fungebatur: propheta uero Dei minister erat, veluti Legatus, aut belli Dux, aut Reipub. administrator. Id quod planè Deus declarauit, quum illum affatus est. Audi uocem populi in omnibus quæ loquun-

tur tibi, non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Iuxta omnia ope ra sua quæ fecerunt à die qua eduxi eos de Aegypto, vsq; ad diem hanc, & quæ sequuntur.

Q. 10. IN CAPVT. 9.

Non desunt qui dicant, Samuelem pecunia adductum uaticinatum fuisse, eo quod dixerit Saul, Ecce ibimus: quid feremus homini Dei? Panis enim de= fecit in uasis nostris. Id uero Saulem rem hanc suspicatum, non Prophetam munerum amantem fuisse declarat: suspicatus nanque est Samueli ut Prophe= tæ, ac principi aliquid iure ac merito afferri debere: uerum ille nihil attulit: sed è contrario benigne admodum à Propheta acceptus est. Quod vero Pro= pheta ille munera non acciperet, verba ipsius, quæ ad populum habuit, abun= de declarant. Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, utrũ bouem cuiusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum: si op= pressi aliquem: si de manu cuiusquam munus accepi, & contemnam illud ho= die, restituamq; uobis. Quæ quidem Prophetæ uerba populi testimonium ue rissima esse comprobauit.

Q. 11.

Vt quid multa signa illi dedit? Dubitantem illũ ac domesticã tenuitatem confitẽ tem animaduertit, quum diceret. Nunquid non filius Iemini ego sum, & de tribu Israel, & cognatio mea nouissima inter oẽs familias de tribu Beniamin?

Q. 12.

Quid significat, Immutauit ei Deus cor aliud? Quia agrestis tantũ erat, agri co lendi tantum modo peritus, quum illum ad Regnũ elegisset, regium illi cor dedit.

Q. 13.

Quid sibi uerba illa volunt, Cessauit autem Prophetare? Perpetuam Pro= phetiæ gratiam minime habuit: sed, ut Diuini muneris indicium daret, eo tempore uaticinatus est. Eadem ratione Septuaginta Seniores, quos magnus elegerat Moses, mox ut electi fuerunt Vaticinandi munere digni habiti sunt, & quæ in dubium uocabantur, explicarunt. post modum tamen vaticinari desierunt: ut LXX. Interpretes ediderunt.

Q. 14.

Quare Samuel quum Saulem vnxisset, & ab uniuersarum rerum auctore Deo audisset, quod ad Regnum eligendus esset, sortem mittere Tribus iussit? Diuinis Prophetis fidem minime habebãt ij qui male, praue, nequiter ui= tam agebant. Ne igitur id humano potius quã diuino suffragio fieri suspica= rentur, sortes mitti mandauit. Deinde quum Tribui Beniamin sors exis set, et rursum Tribus illa in familias, ac domos, & uiros diuisa esset, Sauli

Regnum sorte obuenit: qui quum latere tentasset (potestatem namq; illam supra conditionem, dignitatemq; suam esse uidebat) prophetæ à Deo ostensus, & totius populi Rex electus fuit.

Q. 15.

Quid est quod Deus Saulem Israelitis primum Regem dedit? Propterea quod Regem sibi à Deo dari petierant, non ut ab eo in Diuinarum rerum cognitione, ac cultu erudirentur: sed vt Ducem in bello strenuum ac fortem haberent. Idcirco Regem corporis figura ac statura cæteros longe præstantem elegit. Quia ferè natura comparatum est, ut non tam animi virtutem, quam corporis magnitudinem admiremur.

Q. 16. IN CAPVT. 11.

Cur Naas Ammanites Israelitarum oculos dextros effodit? Quum eos ad bella baudquaquã utiles declarare uellet, id fecit. qui enim manu sinistra Clypeum effert: sinistrum oculum pariter flectit: dextero uero hostes contemplatur. Cui itaq; dexter oculus effossus est, is facile in acie capi potest.

Q. 17. IN CAPVT. 12.

Quæ causa fuit, cur Samuel quum unum in locum populum congregasset, suam apud illum uiuendi rationem explicarit? Quum Iudex esset, Magistratu se abdicauerat, eumq; Regi electo commendauerat. Iure igitur optimo ea quæ ad officij sui partes attinebant, explicauit, suæq; administrationis populum ipsum approbatorem esse uoluit.

Q. 18. IN CAPVT. 13.

Quid intelligi uoluit quum dixit, Filius unius anni erat Saul quum regnare cœpisset? Hac locutione Sauli simplicis hominis animum declarauit: qua quidem animi natura simplici præditus erat, quum Regiam potestatem adeptus est. Postmodum tamen quum de simplici statu suo declinasset, Diuina gratia merito ac iure nudatus est.

Q. 19. IN CAPVT. 14.

Quid est quod Ionathan quum in stationem Philistinorum irrumpere uellet, signa quædam armigero suo dedit? Vt fidelis Diuinam uoluntatem scire uoluit, &

uit, & signa quædam Diuinæ uoluntatis sibi ipse dedit: ut siquidem à Philistæis ad pugnam inuitarentur, in hostes irrumperent, tanquã Deo sibi manifeste auxilium atq; opem ferente. id enim significat quum ait. Si autem dixerint, Ascendite ad nos, ascendamus ad eos, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris: & hoc erit nobis signum. Quod autem Deo fidens in apertum periculum atque discrimen se intulerit, ipsius verba declarant. Veni transeamus ad stationem incircunciforum horum, si forte faciat Dominus pro nobis. quia non est Domino difficile saluare uel in multis, uel in paucis. Hæc plane verba animi sunt Deo magnopere confidentis. Quæ quidem spes, quam sibi in Deo collocauerat, minime illum frustrata est: statim enim stationem eorum perrumpens vna cum armigero suo circiter viginti virorum stragem edidit.

Q. 20.

Cur Deus Saulis execrationem confirmauit, qua populum iureiurando adstrinxit, ne panem quisquam comederet usque ad uesperam, quum tamen bellantium labor ac lassitudo respicienda fuerit? Dum sciscitanti Sauli, an bellum gerendum sit, Deus quasi iratus non respondet, execrationem Saulis, quam Ionathas imprudens violauerat, confirmat: simulq; nos docet, huiusmodi etiã execrationes haudquaquã contemnendas esse.

Q. 21. IN CAP. 15.

Quomodo intelligendum, Pœnitet me quod constituerim Saul Regem? Humano more sæpe Deus in sacris literis loquitur, ut facilius à nobis intelligi possit. Deum ergo pœnitet quotienscunq; rerum humanarum dispensationem mutat. Exempli causa, Creari Saulem Regem ob illius spectandam corporis formam, atq; staturam iussit, non quod ipse maximis corporibus delectetur: quũ ipse & magnorum & exiguorum opifex atque effector sit, sed ut populo illi gratum faceret, qui corporeis oculis tantummodo vtebatur. Quod enim sæpenumero exigua corpora magnis, & iuuenes senibus anteferat, testis est Zacchæus statura pusillus, qui Dominum Christum hospitio suscepit. Testis est Samuel Adolescentulus, qui dignus habitus est ut ei vniuersorum Dominator appareret. Testis deniq; est Dauid & statura & natu grandioribus fratribus ab ipso prælatus. Quum ergo ait, Pœnitet me quod constituerim Saul Regem, idem ualet ac si dixisset, Regnum alteri dare, Sauli uero adimere decreui.

Q. 22.

Cur Saulem Deus ob humanitatem ac benignitatem, qua in hostes usus erat, regno spoliauit? Vt omnium rerum cognitor præsciebat Saulem tum

Diuinam legem uiolaturum, tum insidias aduersus de se benemeritos molitu- rum: sacerdotum cædem, atq; occisionem facturum, fidem denique, & iusiu- randum neglecturum, & insanam Vatem sciscitaturum: & (ut alia minima maxima omittam) ad prouocandam in se Diuinam iram non ne satis erat quod mandatum Domini neglexisset, quo ei præceptum erat, ut Amalecitas inter necino bello persequeretur? scire nam'q; væcordē Saulem oportebat, vel vni- cam Diuinæ benignitatis, ac clementiæ stillam omnem omnium hominum be nignitatem, clementiamq; infinitis partibus superare. Ipse uero miserabilis Deo Amalecitas punire iubente, hostium populi Dei misertus est: & Deo internecionem illorum fieri mandante, ipse vitam ac salutem illis dedit. quid multa? Deo denique imponente, ut nihil omnino è præda reseruaretur, ipse optima quæque è gregibus atq; armentis, & omniū aliarum rerum pulcherri ma ferens è bello uictor atq; ouans remigrauit. Quid? quod ipse in Deum con- tumax filium suum qui de hostibus victoriam reportauerat, occidere uoluit, qui præter patris sui præscriptum inscius atque imprudens modicum mellis fa me adductus degustauerat: quum tamen Dominus præclarum seueritatis suæ exemplum edidisset, quum in ipsum Achar minime obedientem Igne ac Lapi- dibus animaduerti iussisset. Sed nimirum Saul primi parentis Adami qui cul- pam non in vxorem suam tantum, sed etiam in Deum transtulerat, verbis usus est. Peccaui timens populum, & obediens uoci eorum. Nam & ille dixerat. Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de Ligno, & comedi. Et quia Saul ut se apud Samuelem purgaret, dixerat. De Amalec adduxe- runt ea; pepercit enim populus melioribus ouibus & armentis ut immolaren- tur Domino Deo tuo: reliqua verò occidimus: audiuit ex ore Prophetæ. Nun quid vult Dominus holocausta & victimas: & non potius ut obediatur uoci Domini? quoniam quasi peccatum hariolandi est repugnare: & quasi scelus Idololatriæ nolle acquiescere.

Q. 23.

Vt quid Samuel Regem Agag occidi iussit? Ea videlicet ratione qua Phinees Zambri & Cozbi pugione confodit: quaque Mathathias Iudæum quendam su per aram trucidauit. Quicquid enim de sententia Dei agitur, pium ac sanctū haberi debet.

Q. 24 IN CAPVT. 16.

Quæ causa fuit, cur Samuel à Deo iussus Dauidem ungere, formidarit? Quia non tantum propheta, sed & homo erat. Nam si omnium prophetarum Dominus, ut vere humanam naturam se se suscepisse declararet, quum iam

pro totius humani generis salute passurus esset, formidauit: ecquis adeo ab animi affectionibus liber erit, qui trepidanti prophetæ succẽsendũ esse arbitretur?

Q. 25.

Sunt nonnulli qui ipsum etiam Deum incusare non uerentur, quod prophetam mendacium dicere docuerit, ait enim. Vitulum de armento tolles in manu tua: & dices, ad immolandum Domino ueni. Enimuero id mendacium minime fuit: reuera nanq; sacrificium fecit. Dictum est igitur illi, ut opus, cuius causa proficiscebatur, silentio præteriret: opus uerò, quod præter propositum erat, indicaret.

Q. 26.

Quare electum à Deo propheta ignorabat? Quia non Deus, sed homo erat. Dei nanque solius est omnia scire: prophetæ uero ea tantummodo quæ sibi à Deo aperiuntur. Accedit ad hæc, quod prophetæ ignorantia faciebat ut cæteri de Diuina Dauidis ad Regnum eligendi uoluntate, atq; suffragio celarentur. Si enim statim ad Dauidem ungendum cucurrisset, sinedubio suspicioni locum dedisset, id se ex animi sui sententia, non Diuino iussu fecisse. Sed quia ad primum, ac secundum, ac septimum deniq; ordine accessit, id se diuino imperio obtemperantem fecisse declarauit. Etenim si delectu ad hunc modum habito Dauid tamen in inuidia fuit, idq; apud fratres suos, quid nam passus esset, nisi hac ratione electus fuisset?

Q. 27.

Quomodo intelligendum illud? Spiritus autem Domini discessit à Saul: & exagitabat eum Spiritus nequam à Domino Diuino spiritu discedente pessimus Spiritus in Saule locum habuit. Ex hoc uero docemur, ut illud Dauidis cum uoce magna dicamus, Spiritum sanctum tuum ne auferas à me Eadem enim ratione diuina gratia Iudam proditorem deserente, Diabolus in illum intrauit.

Q. 28.

Qua ratione quum psalleret Dauid, Spiritus ille malus à Saule recedebat? Diuini Spiritus gratiam Dauid humil.s ac mansuetus acceperat. Id igitur per Dauidem Spiritu sancto efficiente nequam Spiritus recedebat.

Q. 29. IN CAPVT. 17.

Quare Saul omnibus in singulare certamen cũ Golia descendere recusantibus, Dauidem, qui alacri ac prompto animo in certamen uenire uolebat, dehortabatur? Dauid id temporis quindecim, aut sexdecim annos natus erat. quũ enim septuagesimum annum haberet, è vita discessit: quadraginta uero annos regnauit. Trigesimum itaque annum agebat, quum Saul seipsum occidit. Qui

tamen quum Dauidem Diuino auxilio magnopere fidentem animaduertisset, eumq; Diuina ope fretum Leonem ac Vrsum suffocasse intellexisset, à tam necessario certamine non reuocauit.

Q. 30.

Multi quærunt quo modo Saul Dauidem ignorauerit, quem antea allocutus fuerat, armis suis induerat, pugnantem denique cum Golia, ac de illo uictoriam reportantem conspexerat. Alterum è duobus existimandum est, aut Corybantum more insaniens Dauidem Citharã pulsantem non sentiebat: aut inuidia obcæcatus atq; impulsus subtiliter inuestigabat, nũ is uere Dauid esset.

Q. 31. IN CAPVT. 18.

Quomodo accipiendum illud, Inuasit Spiritus Dei malus Saul: & prophetabat in medio domus suæ? Falsi Prophetæ spiritu malo agitati ijs qui Corybantum more insaniunt assimilantur. Hoc idem Saul à Dæmone agitatus patiebatur.

Q. 32.

Quare Saul quum Dauidi inuideret, eiq; grauiter infensus, & inimicus esset, filiam suam illi despondit? Saulis dolosum consilium, atq; propositum historia declarauit. Non sit manus meo in eum, sed sit super eum manus Philisthinorum. Nuptiarum igitur nomine, ac simulatione non beneficia, sed maleficia meditabatur.

Q. 33.

Cur Saul centum præputia Philisthinorum sibi à Dauide pro sponsalibus afferri voluit? Vt Historici verba declarant, Saul Dauidem in manus Philisthinorum incidere maxime optabat: ne ergo aliquem è tribubus Israelis occideret, occisorumq; capita ad regem referret, centum sibi præputia afferri iussit, quæ non nisi alienigenarũ hominum esse poterant.

Q. 34. IN CAPVT. 19.

Quid est quod ij qui a Saule ad Dauidem ac Samuelem missi erant, uaticinabantur, postremo etiam ipse Saul? Varia, atq; diuersa sunt (ut ita dicam) Dei retia. Alios nanque per hominem, alios uero per cæcitatem capit. id quod per Helisæum factum esse legimus. At uerò Saulis lictores uaticinandi munere uiuos cepit. Quãquã enim Saul una cum alijs vaticinaretur, non eodẽ tamen quo cæteri modo. nudus enim tota die illa, & tota nocte procidit. Qui quidem uaticinandi habitus potestatem regiam quandoque ab illo adimendam esse significabat.

Q. 35. N CAPVT. 20.

Cur quum Ionathan *patris sui insidias* Dauidi *aperire uellet, per sagittarum iactum id fecit?* Non *nulli dixerunt, per causam iaciendi sagittas patris sui infensissimam mentem* Dauidi *declaraße, ut famulum suum quid ageretur celaret.*

Q. 36. IN CAPVT. 21.

Qua ratione consecrato pane uesci non formidauit? Dauid *usque adeo hac in re à culpa remotus fuit, ut* Dominus *in* Euangelijs *illius exemplo* Apostolos *suos excusarit: eosq; à culpa omnino liberos esse ostenderit.*

Q. 37. IN CAP. 24.

Quomodo intelligendum ab impijs egreditur impietas, manus ergo mea non sit in te? Dauid *sese totum diuino iudicio ac prouidentiæ tradiderat. ait enim* Iudicet Dominus *inter me & te, ut ulciscatur me* Dominus *ex te: manus autem mea non sit in te. Deinde prouerbium addidit, quo declaratur, improborum hominum eße peccare: eorum uerò qui* Philosophiam *colunt, aliena peccata æquo animo tolerare.*

Q. 38. IN CAP. 25.

Qua ratione Dauid, *qui incredibili patientia inuidiam, atq; potentiam* Saulis *tulit, stultum illũ* Nabalẽ *interficere uolebat?* Ea *nẽpe de causa, quia quũ de illo benemeritus eßet, id quod pastorum ipsius verba declarant, & petitio* Dauidis *modestiæ ac temperationis plena, ut pote quæ necessariarum rerũ inopiam significaret, nõ solum supplicum preces repudiauit, uerumetiam maledictis petulantissime insectatus est.* Considerauit *nãq;* Saulem *tum ab se recté factorum inuidia, tum regni amittendi timore commotum se se hostili animo persequi:* Nabalem *uero nullã omnino huiusce petulantiæ ac iactationis causam habere.*

Q. 39.

Cur quum iuraßet Dauid *&* Nabalem, *& qui cum eo erant se interfecturum: iusiurandum tamen non conseruauit?* Iusiurandum *illud iustæ iræ atque indignationis fuit: male uero merenti parcere clemẽtiæ ac mansuetudinis, quæ singularis atq; præcipua in* Dauide *fuiße prædicatur.* Quum *enim prudentissimæ* Abigaelis *precibus placatus fuisset, iram omnem, atque indignationem, qua iure optimo incitatus erat, repressit.*

Q. 40.

Carmeli nomine montem, an alium aliquem locum intelligit? Eusebius Cæsariensis uir longe doctissimus hoc loco non montem, sed Castellum quoddam ad Austrum positum Hierosolymis finitimum accipi debere scriptum reliquit.

Q. 41. IN CAPVT. 26.

Quomodo intelligendum? Nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius uenerit ut moriatur, aut in prælium descendens perierit, & cætera. Quum ait, Nisi Dominus percusserit eum, Diuinitus inflictam plagam significat: cuiusmodi infantes Aegyptiorum, ac populum ipsum Hebræum in desertissima illa solitudine, Carmelium denique Nabalem (ut alios omittamus) accepisse sacra Historia abunde testatur. Illud uero, Aut dies eius uenerit, Mortem natura ipsa allatam declarat. quod quidem fit aut nimia ciborum abundantia aut defectione, aut aliquo eorum humorum qui in nobis sunt redundante atque superfluente. Mors uero quæ in bello accidit, uiolenta est, ij nanque qui robusti corporis sunt in pugna sæpenumero interficiuntur, atque occumbũt.

Q. 42. IN CAPVT. 28.

Cur quum Samuelis mortem supra suo loco memorasset, rursum eius mentionẽ fecit? Narraturus quæ ad Pythonis Spiritu concitatam mulierẽ pertinebant, necessario Samuelis mortem repetiuit.

Q. 43.

Quomodo ea quæ ad mulierem Pythonem habentem pertinent, intelligenda sunt? Nonnulli tradiderunt Samuelem à muliere à mortuis excitatum fuisse, alij uero Dæmonem quendam planum ac circumscriptorem habitum ac formam Samuelis gerentem se se ostendisse: eaque quæ à Samuele loquente audierat, protulisse scripserunt. Nonnullis vero quod primo dictum est impium, atque nefarium esse videtur. neque enim adduci possunt huiusmodi mulierculas, aut homines posse quenquam, præsertim sanctissimi hominis animam, ab Inferis reuocare. Alterum sanè à ratione, ac vera religione alienum est. Sunt qui primam rationem falsam esse dicant, quod prædictionem illam mendacem fuisse suspicati sunt: ideoque illam mendacij inuentoribus atque magistris Dæmonibus ascribant. Ego uerò in primo Paralipomenon libro rem totam in hunc modum explicatam inueni. Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod præuaricatus sit mandatum Domini, quod præceperat, & non custodierit illud. Sed insuper etiam Pythonissam consuluerit, nec sperauerit in Domi

no: propter quod interfecit eum, & transtulit regnum suum ad Dauid filium Isai. Hinc igitur manifestum, atq; apertum fit, Principem illum Deum, sicut voluit, Samuelis speciẽ formasse: ac sententiam de ipsius Saulis interitu pronunciasse. Sic per Balaam impium uatem populo Israelis bona se daturum promisit: & quæ longo post tempore uentura erant prædixit. Neq; verò uidere possum qua ratione aut falsam prædictionẽ fuisse, aut spiritum malũ ex ipso Samuele quũ adhuc in vita esset audisse suspicẽtur. Prædictionẽ nãq; uerã fuisse, ipse rerum exitus approbauit. Sequenti nãq; die Saul & Ionathas ad inferos descenderunt, quod sanè Samuel nunquam ante prædixerat, sed solam regni ademptionem. Ac ne illud quidem quenquam moueat, quod mulier illa Samuelem uidisse memoretur, aut quod Saul Samuelem fuisse existimarit. Historia nanque visum illud Samuelem vocauit, propterea quod Saul sic esse crediderat. Sic eos Angelos qui Abramo visi erant, uiros appellauit: sic eos qui re uera Dij non sunt, Deus identidem uocat. Eadem ratione hoc quoque loco eum qui Samuelem habitu ac forma referebat, siue is Angelus, siue Samuelis simulacrum, atq; anima fuerit, nominauit, ut non immerito deceptus Saul suspirans ac gemens è uita excederet. Sed ut ut est, sciendum id præstigijs mulieris Pythonem habentis minime factum esse, sed Diuina Sapientia atque potentia, quæ sæpe ex ore hominum impiè prauèq; uiuentium futura prædixit. Sic per Pharaonem Regem rei frumentariæ copiam ac vilitatem, contraq; annonæ inopiam ac caritatem, sic per Nabuchodonosorem maxima regna totius orbis terrarum prænunciauit. Neque verò de tota hac re aliter atque ego existimo sensisse crediderim sapientissimum illum Iesum filium Sirach in eo libro qui Ecclesiasticus inscribitur, cum ait. Et post hoc dormiuit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem uitæ ipsius.

Q. 44.

Vnde mulier quæ Pythonem habebat Saulem esse cognouit? Facile fuit Dæmoni qui per illam loquebatur, docere quis nam esset qui eam sciscitaretur. Diuinæ uero prouidentiæ sine dubio fuisse existimandum est, quod Dauid una cum Philisthæis minime in acie versaretur. Neque enim populum suum internecino bello fundi cædiq; permisisset: sed omnem curam prouidentiamq; in eius salute adhibuisset.

Q. 45. IN CAP. 30.

Cur Deus Amalecitis permisit ut ex urbe Siceleg à se exusta uxores liberosq; Dauid ac sociorũ eius captiuos adducerẽt? Vt dolore cõmoti aduersus Amalecitas arma caperent: eosq; ut ante prædixerat, funditus perderent, atque delerent. Ad hæc, ut plurima præda capta Senioribus Iuda proximis suis munera mitteret: eorũq; maiorẽ beneuolẽtiam sibi per hanc causam conciliaret.

IN SECVNDVM LIBRVM REGVM QVAESTIONES.

Q. 46. IN CAP. 1.

Nonnulli Dauidem reprehendunt quod eum qui illi de Saulis interitu renunciarat, occidi iusserit. Hi profectò sanctissimũ Vatem ac Regem suspicere, atq; admirari, non uituperare debuerant. Inimici nanq; hominis morte audita lamentatus est: neque id tantum, sed & à fletu non temperauit. Quid? quod is qui renuntiauerat nulla iniuria ab Saule affectus in omnium gemitu de Regis, ac filiorum eius, detotius denique populi clade lætabatur tum etiam mendacium nuncio affinxit, se ipsum Saulis interfectorem arrogãter appellans. Ad hæc Amalecita erat, contra quos vniuersorum Dominator Deus sententiam olim tulerat, ut populus Iudaicus eos bello internecino persequeretur.

Q. 47.

Quid ita Dauid lamentatus est? Multa Dauidem ad lamentationem ac fletum prouocarunt. Ionathæ desiderium, erga populum suum benuolentia, Saulis interitus, quem enim uiuentem, spirantemq; cultu, atque honore dignum existimauerat, multo magis vita spirituq; carentem miserebatur. id quod ex subiectis verbis manifeste colligi potest. Omnesq; uiri qui erant cum eo & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vsq; ad uesperam super Saul, & super Ionatham filium eius, & super populum Domini, & super domum Israel, eo quod corruissent gladio.

Q. 48.

Quid sibi uerba illa uolunt, Cunsidera Israel pro his qui mortui sunt super excelsa tua uulnerati? Ne exiguam quandam, & qualemcũq; existimes tibi impositam plagam, sed diligenter expende qui nam sint qui ceciderunt. Rex uidelicet, & Regis filius, & ex cunctis tribubus optimi quique, ac præstãtissimi,

Q. 49.

Cur montibus Gelboe male precatus est Dauid? Id quoque doloris exuperantiam mire declarat. Quem admodum enim ij, qui aliqua corporis parte afflicti sunt, aut parietibus, aut lecto propter doloris aculeos manus affigunt, ita diuinus ille uir præ multa tristitia inanimatis montibus mala precatus est.

Q. 50.

Nonnulli illud Dauidis in Ionatham dictum eludunt. Et amabilis super amorem mulierum. Tamquam stolidi id quod prudentissime dictum est irrident. Considerandum nanque illis erat, Dauidem quum ardentem quandam, ac ueram, ger

ram, germanamq; beneuolentiam erga Ionathan explicare uellet, hac illum comparatione usum fuisse. Tantus est enim uiri erga vxorem affectus, ut à Deo per Moysen scriptum sit. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una. Quemadmodum enim lege coniugali copulatos coniunctio ipsa carnem, & corpus vnum efficit, eadem ratione integre atque sincere amantium animos affectus ipse in unum colligere, atq; redigere consueuit.

Q. 51. IN CAP. 2.

Vt quid Deus iussit Dauidem primo in Hebron ascendere? Ipse qui iussit, nouit. Quantum autem coniectura assequi possum, ea de causa Deum id præcepisse existimo, quia Patriarchæ, dum vita ac communi Spiritu fruerentur, iuxta urbem illam habitarunt, & posteaquam ex hac uita emigrarunt, sepultura affecti sunt. Huc accedit, quod ex tribu Iuda erat Dauid, huius autem tribus ea tempestate primaria urbs erat Hebron: ad illum enim diem Iebusæi Hierosolymam obtinebant: Tribus uero Iuda Dauidem præ cunctis tribulibus suis diligebat. Quod uero Hebron primas tenuerit, historia docet. Manserunt in oppidis Hebron. Alterum uero quæ sequuntur satis declarant. Veneruntq; uiri Iuda, & unxerunt ibi Dauid, ut regnaret super domum Iuda. Vnxerunt vero uerbum pro uerbo proprio elegerunt, subiectum est: antea nãq; a diuino uiro Samuele unctus erat.

Q. 52.

Quomodo accipiendum illud quod ab Abner dictum est, surgant pueri, & laudant coram nobis? Bellicum, ac singulare certamen fortissimis iuuenum proposuit, ut an rei gladiatoriæ periti essent, experiretur. Horum autem militarem congressum apte, congruenterq; ludi nomine nuncupauit.

Q. 53. IN CAP. 3.

Quum lex uetet, mulierem quæ à uiro suo discesserit, & alteri se coniunxerit, ad priorem virum reuerti: qua ratione beatus David Michol alteri, postquam à se discesserat, nuptam, vxorem repetiuit? Lex vxorem cui uir nuntium misisset, & alteri in matrimonium collocata fuisset, ad priorem uirum reuerti prohibuit. Id ipsum enim & per Hieremiam Dominus his ipsis verbis declarauit. Vulgo dicitur, si dimiserit uir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eum ultra? Nunquid non polluta et contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus

multis: tamen reuertere ad me dicit Dominus. Dauid uero uxorem Michol nō dimisit, sed illius pater contra legem à Dauide marito illam abducens, alteri uiro collocauit. Violentia igitur non matrimonium fuit. Id quod & beatus Apostolus testatus est, quum ait. Igitur uiuente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio uiro. Dauid itaq; legem non uiolauit, sed pater qui filiam suam alteri collocauit. Neque enim matrimonium existimari debet quod contra legem fit. Violentiæ igitur soceri sui ignoscens Dauid, filiam eius rursum in matrimonio habere concupiuit.

Q. 54.

Quam obrem Ioab Abnerem occidit? Per causam ulciscendi fratris sui Asaelis, quem Abner ipse quodāmodo coactus, atq; ab ipsomet Asaele impulsus transfodit: reuera autem propter inuidiam. Optime enim omnium nouerat Abnerem à Dauide Ducem belli deligendum, propterea quod vniuersum Israelem ad Dauidem congregasset, illiusq; ditioni subiecisset.

Q. 55.

Cur Dauid Rex Abnerem immerito, atq; iniuria occisum continuo non est ultus? Ipsemet quæstionem hanc in his quæ sequuntur persoluit. Porro uiri isti filii Saruiæ duri sunt mihi: retribuat Dominus facienti malum iuxta malitiā suam. vbi enim commode fieri potuit, Dauid iustæ iræ, atque indignationi non pepercit. statim enim eos qui Miphibosethe occiderant eius que ad se caput attulerant præcisis manibus suspendi iussit.

Q. 56. IN CAPVT. 5.

Cur Dauid tertio unctus est? Regalem sané potestatem vniuersorum princeps Deus illi per Samuelem tradiderat, unam vero, atq; alteram Dauidis electionem qua Dauid per populi suffragia Rex creatus, atq; confirmatus fuit, historiæ scriptor Vnctionem appellat. Primo nanq; Dauidem Regem tribus Iuda elegit, secundo autem loco post septem annos à reliquis tribubus Regis nomine appellatus est.

Q. 57.

Quid sibi volunt verba illa? Dictumq; est Dauid ab eis, Non ingredieris huc nisi abstuleris cæcos, & claudos dicentes. Non ingredietur Dauid huc. Iebusæi usq; ad illam ætatem Hierosolymam obtinebant. Vt primum vero domesticum cum Saule bellum finem habuit, Dauid exercitum aduersus eos conduxit: ij uero exercitu Dauid contempto, quotquot oculis ac pedibus capti erant super muros collocatis, Dauidem conuicijs petulantissime consectari iusserunt, ac di

cere. Non ingredieris huc, nisi cæcos & claudos abstuleris, dicentes, Non ingredietur Dauid huc.

Q. 58.

Quare Deus Dauidi cum Philisthæis bellum gerere modo iubet, modo vetat? Tanquã Sapiens Dux, atque magister Dauidem in virtute exercet, hortaturq; ne suis viribus fidat: sed Dei auxilium, atq; opem præstoletur. Quare & ei signa dare non recusat, quando illi apparitur us sit.

Q. 59. IN CAPVT. 6.

Vt quid Michol Dauidem arguit, quod coram arca Domini saltauerit? Alienum illi videbatur Dauidis maiestate, atq; imperij dignitate: neque enim Diuini amoris, ac desiderij stimulos experta erat: ex quo sapientissimus, Deiq; amantissimus Rex uehementius illam increpauit: Deus uero non illam tantum per Dauidem increpauit, sed etiam grauissima pœna mulctauit. Nam, vt historiæ huius scriptor ait, Ipsi Michol non est natus filius usq; in diem mortis suæ, hoc est. Nunquã liberos ex ea Dauid sustulit.

Q. 60. IN CAP. 7.

Quum propheta esset Nathan, qui fieri potest, ut uoluntatem Dei ignorarit? & Dauidi templum Domino ædificare iusserit? Et iam antea diximus, Vates quamuis pios non omnia scisse, sed ea tantum quæ Diuino instinctu, afflatuq; illis indicabantur. Sic Samuel quem ex filijs Isai ungeret ignorauit: sic Eliseus Sunamitidis mulieris vix consolabilem dolorem: eadem ratione Nathan, quum Regis sententiam, atque propositum approbasset, uniuersorum Domino Domino probatum iri existimauit. De nocte tamen à Deo admonitus, Regi indicauit templi constructionem Regis filio reseruari.

Q. 61. IN CAPVT. 8.

Quid his verbis significatur, & percussit Moab, & mensus est eos funiculo coæquans terræ: mensus est autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & alterum ad uiuificandum: factusq; est Moab Dauid seruiens sub tributo. Tanta fuit victoriæ uis ac magnitudo, tanta eorum qui in acie capti sunt multitudo, ut numerando percenseri non possent. Iussit itaque Rex illos in terram inclinari capite ac uultu demisso, ac tris in partes distribui: ac duas quidem partes occisione occidi, tertiam uero partẽ uitæ reseruari, ac tributa Regi cõferre.

Quare omnibus curulibus equis crura suffregit? Diuina Lex prohibuit Regem multos sibi equos comparare: ut non equis, sed Diuinæ potentiæ confidendum esse non ignoraret: hanc Legem secutus omnibus equis iugalibus crura frangi iussit. Ipsum quoque in Psalmis canentem, atque dicentem audire licet. Non saluatur Rex per multam virtutem: & Gigas non saluabitur in multitudine uirtutis suæ. Fallax equus ad salutem, in abundantia autem uirtutis suæ non saluabitur.

Q. 63. IN CAPVT. 12.

Vt quid Deus modo natum infantem mori uoluit? Viuens paterni sceleris monimentum, atque indicium sine ulla dubitatione fuisset: & crimen suum recognoscenti Regi opprobrio extitisset. Tanti igitur Regis ac Vatis saluti, atque honori prospiciens Deus infantem diutius uiuere non permisit.

Q. 64. IN CAPVT. 15.

Quare Sacerdotes, & Arcam Rex Dauid fugiens, se sequi prohibuit? Quum esset & pius, & propheta, optime omnium nouerat quid Arca fœderis passa esset, eo quod in auxilium, atq; opem hominum Diuinam Legem uiolantium sumpta esset: illi enim interfecti sunt: hæc uero in acie capta alienigenis hostibus tradita est. Hæc edoctus ad Sadoch sacerdotem locutus est. Reporta arcam Dei in vrbem: si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me: & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum: Si autem dixerit mihi, Non places, præsto sum: faciat mihi quod bonum est coram se. Non possum, inquit, accusatorem meum circunducere: intus loquentem legem audio. Non mœchaberis, non occides. Ego vero utramq; legem conculcaui.

Q. 65. IN CAPVT. 16.

Nonnulli Dauidem culpant quod Sibæ in Dominum suum mentienti fidem habuerit. Non semel à nobis dictum est, non omnia Vates quamuis pios nosse. Enimuero hic Siba uerbis ad persuadendum concinnis usus est: ad hæc dona quoq; Regi, totiq; eius familiæ attulit. post modum tamen Dauid & ipsius Miphiboseth excusationem accepit: & superiore cura dignum habuit: &, quod caput est, quum orta fame Gabaonitis septem è domo Saulis cruci suffigendos tradidisset, ei propter iusiurandum, quod clarissimum verissimũ

q; in uerba patris illius Ionathæ iurauerat, clementer, fideliterque pepercit.

Q. 66.

Quidam Cusai uitio dant, quod mendacium Absaloni dixerit: eumq; hac ar te fallere studuerit. Bonorum atque malorum hominum propositum atque sententiam in una quaque re diligentissime perpendenda sunt. Hac enim ra= tione fiet, ut ueritatem quoque alicubi damnatam inueniamus. Herodes, inquit Euangelista, propter iusiurandum, & simul discumbentes Ioannem Ba ptistam interfecit. Sed quis, obsecro te, adeo stolidus est, ut ueritatem ob nefa= rium scelus committendum seruandam putet? Primum enim satius fuisset non iurare, deinde uero postquā iurauerat, ex malis minimum, mendacium scili cet, eligendum erat. Hic igitur simulatio fuit non quæstus & lucri causa, neq; ut damnum cuiquā afferret: sed ut sanctissimum, ac maxime pium vatem pa riter & Regem seruaret.

Q. 67.

Qui fieri potest ut Sapientissimus ille Dauid Achitophele consiliario vteretur, quum ille sæpe consilia non bona daret? Pessimi uiri malitiam suam, ac pra= uitatem tandiu celant, quandiu cum uiris sapientibus, probisq; uersantur. Quum autem quempiam sui similem nacti fuerint, continuo patenter, atque ex pedite illam præ se ferunt: ostentant: de illa sese magnifice iactant. Huiusmodi erat & hic Achitophel. Optimo nanque Dauidi optima cōsilia dabat: Abessa loni uero eius moribus congruentia afferebat, Ad extremum ueritus ne patrem ac filium inter se rursus natura conciliaret, ipse uero proditionis pœnas exposce retur, sceleratissimū illud atque indignissimū facinus sceleratissimo filio sugges sit: ut nullus uidelicet cōciliationi locus relinqueretur. Diuino tamē iudicio impij, pessimiq; consilij statim pœnas luit. Et quia filium aduersus patrem armauit, ipse aduersus semetipsum manus armauit: atque his ipsis collo laqueum iniyciēs per summum dedecus vitam amisit.

Q. 68. IN CAPVT. 18.

Cur quum supra historiæ huius scriptor dixisset, Absaloni filios tres, & fi= liam unam fuisse, hoc loco ait. Porro Absalon erexerat sibi, quum adhuc uiueret, titulum, qui est in valle Regis. dixerat enim non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei: uocauitq; titulum nomine suo: & appella tur Manus Absalon usq; ad hanc diem? Vtrunq; uerum est: Consentaneum nanque est illum & liberos procreasse, & illos diem suum obiisse. Iosephus ue ro ait, Ea de causa id illum fecisse, ut filijs quādoq; interituris sui nominis æter na memoria simul cum Titulo illo consecraretur.

Q. 69.

Quid tantum Dauid vir sanctus ac religiosus scelestissimum filium Absolonem lamentatus est? Cum amans filiorum, tum maxime natura benignus erat. Cuius sanè rei certissimum argumentum, atq; indicium esse potest lamentatio illa, quia Saulem sibi infestissimum hominem prosecutus est. Huc accedit, quod patrius amor, quæq; illius erat eximia lenitas, ac mansuetudo dolorem illum atq; mœrorem augebat: simulq; eum lamentabatur, qui iam amplius nulla scelerum suorum recognitione sanari poterat. post mortem nanque pecca torum plaga insanabilis est, ac desperata.

Q. 70.

Cur Dauid Amasæ Imperatoris munus atq; officium pollicitus est, quum tas men Ioab pro eo multos labores sustinuerit? multis sese periculis obtulerit? Au daciam, confidentiamq; Ioabi semper odio habuit: quem tamen ea ratione semper sibi ferendum esse existimauit, ne quid noui contra se, quum esset aus dax, atq; confidens moliretur.

Q. 71. IN CAPVT. 20.

Vt quid Dauid decem Concubinas, quæ per uim ab Absalone nefario tyranno stupratæ fuerant, in custodiam inclusit? Alienum a sancto, ac religioso uiro esse existimauit post illum scelestum contactum cum illis corpus miscere; id enim & Lex ipsa manifeste uetabat. Alteri autem uiro illas in matrimonium collocandas esse non iudicauit, ne occasionem cuiquam tyrannidis daret: deni que ne matrimonium quidem legitimum fuisset: ut enim ait diuinus Apostolus, Viuente uiro adultera efficitur, si fuerit uiro alteri copulata.

Q. 72.

Quomodo intelligendum illud, Sadoc uero & Abiathar Sacerdotes: Ira au= tem Iairites erat Sacerdos Dauid? Sadoc & Abiathar principem locum inter Sacerdotes obtinebant: hic uero Sacerdos intra regiam degebat Diuinæ arcæ assidens: & regias victimas mactans.

Q. 73. IN CAP. 21.

Cur quum Saul Gabaonitas occiderit, post illius mortem Israelita populus punitus est? Vniuersus populus cum Gabaonitis fœdera fecerat: interfuerunt autem iureiurando Eleazarus Sacerdos, et Iosue totius populi Dux. Par= itaque erat, ut posteri eorum qui iusiurandum iurauerant ista fœdera nulla ra tione uiolarent: Regiq; ipso ut fidem seruaret persuaderent.

Q. 74.

Qua nam de causa David, quum in acie uersaretur, defecit? Senex erat, cor*poris tamen imbecillitatem animi alacritas superabat. Quumq; magnum labo*rem in cõflictu cum aduersario sustinuisset (propugnator nãque cohortis erat) laborem non ferens defecit. Et quum iam in lubrico uersaretur, eiq; mors ab alienigenarum hostium propugnatore immineret, præter expectationem ab Amasa incolumis seruatus est, qui & maximum, atque ingentem illum hostẽ occidit.*

Q. 75. IN CAP. 24

Quid est quod quum populum David numerari iussisset, populus ipse pœnas expendit? Criminis sui populus pœnas exoluit. Pio nanque Rege derelicto, pa tricidæ filio ad hæsit, idque quum tyrannidem affectaret: cædemq; nefariũ patri moliretur: qui & sanctissimus Vates, & Rex ab vniuersitatis paren te electus erat. In eo quoque Israelitæ accusandi sunt, quod Saulem condem natum, & Diuina gratia nudatum non dereliquerunt, usquedum vna cum sanguine uitam profudit. Illum uero qui eis innumerabilia beneficia conciliaue rat, qui alienigenarum hostium audaciam fregerat, qui Amalecitas occidio ne occiderat, qui Idumæos, Moabitas, & Ammonitas, & Syros utrosq; nõ tantum armis ceperat, uerum etiam inseruitutem, ac ditionem redegerat, & tributa ferre coegerat, qui denique uaticinandi gratiam adeptus erat, non so lum dereliquerunt, sed & contra illum aciem instruxerunt: & hostilem in modum una cum sceleratissimo filio uexauerunt. Horum omnium scelerum pœnas iustus ille omnium Iudex per Dauidem ab eis iniuria affectum exe git. Neque enim scriptum est, Surrexit Satan in Dauidem, sed, in Israelem. Hanc uero mentem Deus in Dauidem minime iniecit, sed illa eum uti permisit, ut hac ratione in populum illum à Rege optimo desciscen tem animaduersione atq; supplicio vteretur. cæterum hac in re Rex ille singu lari, eximiaq; sanctitate ac sapientia præditus peccauit, quod populum illum quem Abraamo uniuersorum Dominus innumerabilem ueluti stellas cœli, at que harenam maris fore pollicitus fuerat, ipse Diuinæ pollicitationis oblitus, numerando percensere uoluerit.

IN TERTIVM LIBRVM REGVM QVAESTIONES.

Q. 76. IN CAP. 1.

NOnnulli suspicantur Nathan sanctissimum Vatem ægre tulisse quod ad cõuiuiũ Adoniæ uocatus nõ esset: atque ob id Bersabęe Regis uxorem subornasse, ut quæ ab Adonia gesta erãt significaret. Insipienter admodum suspicionem hanc habuerunt. Nathan enim quum Diuinam sententiam optime noscet (per ipsum nanque Regi Deus indicauit, Nunquid tu ædificabis mihi domũ ad habitandum? & quæ sequuntur. Videns igitur Adoniam præter Diuinũ consilium regnum Israelis occupare molientem, in memoriam Regi Diuinam sententiam per Bersabee internuntiam redegit: deinde ipse ingressus uerba illa confirmauit.

Q. 77.

Vt quid serui Regis quum Regi Dauidi bene precati fuissent, dixerunt, Amplificet Deus nomẽ Salomonis super nomen tuum: & magnificet thronum eius super thronum tuum? Nouerant neminem esse qui (modo is re uera paterno animo affectus sit) filio suo quicquam inuideat. Quin etiam proprium esse parentum ut filios longe clariores se uidere maxime optent. Dauid certe ijs quæ à seruis suis dicta erant adeo lætitia aperte elatus est, ut quũ prægraui senectute è lecto cubiculari surgere non valeret, in lecto tamen decumbens dixerit. Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo vidẽtibus oculis meis.

Q. 78. IN CAP. 2.

Quare Dauid quum Ioabum exercitus sui Ducem non punisset, id filio suo Solomoni faciendum mandauit? Primo Ioabum ut laborum, ac periculorum & participem, & adiutorem, & socium reueritus est: tum etiã illius audaciam subuerebatur: id enim significauit, quum ait. Porro viri isti filij Saruiæ duri sunt mihi. Ad hæc cum didicisset quod cum Adonia tyrannidem moliretur timuit ne more suo usus ætatem Solomonis paruipenderet: & alterum de duobus faceret, aut per simulationem collocutionis illum interficeret, quemadmodũ antea Abnerem & Amasam dolose interemerat: aut certe manifeste exercitum contra se cõpararet, atq; instrueret: Israelem denique ut à se deficeret adhortaretur.

Quæ

Q. 79.

Quæ causa fuit ut quum Rex Dauid *iam semel* Semei *pepercisset*, Solomoni *ut eum puniret præceperit?* Tyrannicum *hominem atq; audacem esse optime omnium nouerat, quũq; filij sui* Solomonis *saluti prospiceret, atq; consuleret, filium suum docuit quanta audacia, atq; insolentia* Semei *erga se* Regem *suum usus fuisset, ut ab illus prauitate, atq; malitia maxime cauendum, & prouidendum putaret.* Neque *illi fortasse, ut pote sanctissimo* Vati, *latebat*, Semei Solomonis *præcepta violaturum.*

Q. 80.

Nonnulli Solomonem *incusant quod* Adoniam *fratrẽ interfecerit.* Non *unum, eundẽq; uitæ cursum homines tenent.* Hi *nanq;* Philosophiã *colunt: alijs virtus illa, quam* Politicã *uocant, cordi est: alÿ regnum, aut rẽ bellicam administrãt.* Vnumquenq; *igitur ex instituto uiuendi genere, quod amplexatus est, expẽdere oportet.* A Solomone *perfectio illa, quæ pium* Vatem, *aut* Apostolũ *deceat, minime requirenda est: sed ea quæ* Regibus *cõgruat.* Hic *autem nouerat* Adoniam *tyrannidem affectare: nam & is regnũ occupare attentauit. Priori itaq; audaciæ ueniã dedit: & meliora illi promisit, si obedientiæ officium diligenter, sancte q; seruaret.* Postea *uero quam ille insolens atq; audax eam quæ olim cũ parte suo coniuncta fuerat, uxorẽ habere appetijt, impudenti quidẽ postulationi nõ cõcessit, ut pote quæ tyrãnidis apertissime uia esset: ipsũ uero interfici iussit.*

Q. 81.

Cur Ioabum *qui ad* Deũ *confugerat occidi præcepit?* Diuina Lege *præceptũ erat, ut homicidam etiã ab altaribus auellerent, ac morte mulctarent.*

Q. 82.

Quare Solomon Abiatharem *Sacerdotij amplitudine priuauit?* Socium *atque adiutorẽ* Adoniæ *in Tyrannide occupanda sese præbuit. quod* Solomonis *uerba manifeste declarant.* Vade *in* Anathoth *ad agrum tuũ: et quidẽ uir mortis es: sed hodie te non interficiam, quia portasti* Arcã Domini Dei *coram* Dauid *patre meo; & sustinuisti laborẽ in omnibus in quibus laborauit pater meus.* Qua *quidem in re* Solomon Diuinæ *prædictionis minister fuit: id quod ea quæ sequũtur aperte ostendunt.* Eiecit *ergo* Solomon Abiathar *ut non esset sacerdos* Domini *ut impleretur sermo* Domini *quem locutus est super domum* Heli *in* Silo.

Q. 83. IN CAP. 3.

Quomodo *intelligendum*, Attamen *populus immolabat in excelsis?* Non *idcirco hoc loco eos accusat quod* Simulacra *colerent, sed quod præter legẽ in excelsissimis locis* Deo *sacrificia facerent.* Lex *enim vno tantum in loco rẽ* Diuinam *fieri iussit.* Errati *tamen veniã impetrabant, quia nondum* Diuinũ *tẽplum ædificatum erat. quã rem ipse huius historiæ scriptor his ipsis verbis declarauit.*

Non enim ædificatum erat tēplum nomini Domini usq; in diem illū. Quod autē non simulacris, sed Deo sacra facerent, historia manifeste nos docet, Abijt, inquit, Solomon in Gabaon, ut immolaret ibi: illud quippe erat excelsissimū maximum: mille hostias in holocaustum obtulit Solomō super altare illud in Gabaon. Apparauit autem Dominus Solomoni per sōnium nocte, dicens. Postula quod uis ut dē tibi. Quod si simulacris sacrificia fecisset, haud quaquā Deus, tot in illū dona cōtulisset, quæ ille ne optauerat quidē: eumq; in posterum sua prouidentia curaturum promisisset: ea tamē lege ac conditione si Diuina præcepta, atque instituta diligenter, sancteq; obseruaret.

Q. 84.

Quæ causa fuit, ut qui hæc historiæ mādauit, de duabus meretricibus narraret? Regis sapientiam ostendere uolebat. Sapientissimi nanque & prudentissimi Regis reuera fuit latentes res, animiq; affectiones aperire, & ipsius naturæ quæsitorem & iudicem se declarare. Statim igitur hæc infantis mater esse ostensa est; illa vero non esse conuicta est.

Q. 85. IN CAPVT. 4.

Quomodo accipiendū est illud, Et præcedebat sapientia Solomonis sapiētiā omnium Orientalium, et Aegyptiorum? Sapiētiā Salomonis magis ex aliorū contentione, q̄ ipsam per sese Historicus cognosci, atq; intelligi uoluit. Quā ob rē priscorum quoq; uirorū qui ab Oriente terras colunt, mētionem generatim, atque uniuerse fecit. His etiam Aegyptios adiunxit, ut pote qui apud omnes in numero sapientum habeantur. Nam, ut historijs Græcis mandatū est, Pherecydes Syrus, Pythagoras Samius, Anaxagoras Clazomenius, Plato deniq; Atheniensis in eorū ciuitatibus peregrinati sunt, ut ab ijs de Theologia, ac Physiologia perfecte planeq; edocerentur. Ipsa deniq; Diuina historia Mosæ Legislatoris perfectam eruditionem sempiternæ memoriæ commendans ait, quod eruditus fuit omni sapientia Aegyptiorum.

Q. 86.

Qui nam fuerunt Ethan, et Heman, et cæteri sapientes, quos speciatim, nominatimq; enumerat? Erant tēporibus illis nonnulli rerum Diuinarum, humanarūq; cognitione præstantes: quare et ipsos nominatim memorauit. Ethan uero, et Heman Diuina mente, & consilio præditos, & psallentium principes fuisse prior Paralipomenon liber non obscure declarat.

Q. 87.

Quomodo accipiendum illud, & disputauit super lignis a Cedro quæ est in Libano, usq; ad Hyssopum quæ egreditur de pariete, & quæ sequuntur? Solomonem stirpium, herbarum, & animantium rationis expertium naturas, uiresq;,

physice persecutũ fuisse ait. Hinc ego arbitror eos qui de Medicina libros scripsere plurima tãquã è fonte hausisse. Tũ etiam calidorũ ac frigidorum, itemque siccorum atq; humidorum ordines explicasse. Hunc autem librum Iudæi interijsse tradunt, quemadmodum & librum Carminũ, et maximũ partem Prouerbiorũ.

Q. 88. IN CAPVT. 5.

Quid fuit causæ, cur Solomon quum regnasset, non statim, sed quarto anno tẽplum ædificare instituerit? Materiam, resq; alias necessarias atque accomodatas præparauit, tũ demum fundamenta iecit : id quod et huius historiæ scriptor his ipsis verbis, ut LXX. Interpretes cõuerterunt, declarauit. Et præparauerũt lapides & ligna tribus annis ad ædificandã domum. quo loco Latina æditio habet. Porro Gyblij præparauerunt ligna & lapides ad ædificandã domum.

Q. 89. IN CAPVT. 7.

Quid domo saltus Libani significatur? Maximam domum in Regia ædificauit: quæ columnas è Cedro quinque et triginta habebat. Arbitror itaq; domum hãc, domum saltus Libani uocatam fuisse, quia numerum columnarum è Cedro habuit, nemus, ac saltum Libani imitantium. Cedros vero Libani procerissimas fuisse non vno in loco in Diuinis literis legere licet.

Q. 90. IN CAP. 8.

Quomodo intelligendum, Fecit ergo Solomon in tẽpore illo festiuitatẽ celebrẽ, et omnis Israel cum eo, septem diebus, et septem diebus, id est quatuordecim: et die octaua dimisit populos? Septẽ diebus ob diem festum Encæniorum, hoc est dedicationis ædis sacræ, & septem, ob diem Scenopegiæ, id est tabernaculorũ. Octaua uero die quæ septimã scenopegiæ secuta est, populos lætantes dimisit.

Q. 91. IN CAP. 12.

Cur supra dixit, Achiã Silonitem pallium scidisse, et decem partes ipsi Hieroboam dedisse: hoc uero loco Sameam id fecisse scribit? Bis id factũ est. Achias enim adhuc uiuente Solomone pallium suũ scidit: partesq; eius decẽ Hieroboam dedit; qua quidẽ magna, ac bona spe in Aegyptũ est profectus. Sameas uero post obitum Solomonis, & ipsius Hieroboam reuersionem hoc idẽ fecit: ac Diuinam prædictionem illi in memoriã redegit: ut diceret regnum sibi à Deo datũ fuisse: utq; Diuinis legibus regiam potestatem ornaret. At ille miser, atq; infelix diuinitus potestatem adeptus, humanis illam, atque nefarijs dolis, machinis, fallacijs conseruare tentauit.

Q. 92.

Quum præuidisset Deus quod populus impie, nefarie, perdite se gesturus esset:

ut quid regni diuisionem fieri permisit? Sed quid, obsecro te, Iudam, ac Beniamin iuuit, quod tẽplum haberent? eadem enim cũ alijs flagitiose peccarunt. Nã ut infra scriptum est, & fecit Iudas malum coram Domino, & irritauerunt eũ super omnibus quæ fecerant patres eorum in peccatis suis, quæ peccauerunt. Aedificauerunt.n. & ipsi sibi aras, et statuas, & lucos super omnẽ collẽ excelsũ, et subter omnẽ arborẽ frondosam. Sed et effœminati fuerũt in terra: fecerũt q; omnes abominationes Gentiũ, quas attriuit Dominus ante faciẽ filiorũ Israel. Nõ igitur propter Regni diuisionẽ decẽ Tribus ad impietatẽ prolapsæ sunt, sed propter suam perfidiã atque iniquitatem. Ob id Deus per sanctissimos Vates suos Iudæ impietatem exagerebat. Nã & Osee meretricem uxorẽ habere iussus est, ut apertam eorum impietatem hac ratione argueret, ac declararet. Et Hieremias ait. Iustificauit animam suam auersatrix Israel comparatione præuaricatricis Iuda. Quid? quod Ezechiel non Samariam tantum, sed Sodomam etiam ipsius Hierosolymæ sororem appellauit.

Q. 93 IN CAP. 15.

Quomodo intelligendum est illud, Veruntamen in tempore senectutis suæ doluit pedes? Fusius, atque apertius de tota hac re Paralipomenon liber posterior his ipsis uerbis disseruit. Aegrotauit etiã Asa anno tricesimo nono regni sui dolore pedũ uehementissimo: & nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum, sed magis in Medicorum arte confisus est. Ego alterum è duobus existimo, hoc sanè loco aut eos qui ueneficijs, & cantionibus vtuntur, Medicorum uocabulo significari, aut Asam solis medicis confisum fuisse, in eisq; totam spẽ suam collocasse: quod nulla ratione ei faciendum erat. Ii nãq; qui pietate præditi sunt, Medicis vt Dei ministris vtuntur, (quum optime sciant Medendi artem quemadmodũ & cætera bona, Dei opt. max. donum, atque inuentum esse, qui è terra tot stirpes, & herbas hominum generi uniuerso utiles, ac salutares oriri facit) sed tamen illos minime fugit Medicorum artem Deo non iuuante nihil ualere omnino, sed tantum quantum ille uoluerit, qui omnia iusto, atque occulto iudicio regit, atque gubernat.

Q. 94. IN CAP. 17.

Nonne audacis, atq; insolentis hominis uideri potest quod ab Helia dictum est. Viuit Dominus Deus Israel in cuius cõspectu sto, si erit annis his ros, & pluuia nisi iuxta oris mei uerba? Immo uero audacissimi, atq; insolentissimi hominis est huiusmodi cum animis suis cogitare, & præterea huiusmodi cogitata ad uersus sanctissimos uiros, & Deo amicos eloqui. Vates enim erat, & uatum Coryphæus: atq; hæc Diuino spiritu concitatus, atq; inflammatus dixit. Itaq; uerba eius maximæ, & diuturnæ efficientia fuere siccitatis.

Q. 95.

Qua ratione Helias, quum esset Sanctus, & secundum Legem uitam suam instituisset, cibo sibi à Coruis allato utebatur? Ipsemet Legislator cibum hunc per Coruos ei afferebat, qui illi præceperat ut in Torrente Charit se absconderet: pollicitus se ei per Coruos alimenta missurum. Stetit igitur promissis. Corui nanq; panem mane, ac carnem uesperi afferebant. Hoc autem exẽplo Legislator Deus nos docet, huiuscemodi leges propter imbecillitatem Iudæorum, se dedisse, à quibus tamẽ quãdoq; eos discedere iussit, Sabbato nãque urbem Hierico Ducem ipsum Iesu Naue et Sacerdotes una cum Leuitis, ac toto populo septies circumire præcepit: atq; etiam ipsum Heliam cibum sibi à Coruis allatum capere uoluit: et ne longum sit, Samson, qui ob lasciuiam, atq; ebrietatem Diuina gratia nudatus est, quum dulcissimum mel, quod in ore Leonis extincti Apes finxerant, degustaßet, in eo ipso minime tamen accusatus est.

Q. 96.

Quid est quod Dominus Heliam ad alienigenam uiduam ire præcepit? Id quoque huiusce generis Legum causas docet. Nam si Iudæorum mentem integram fidemq; spectatam cõstantemq; nouißet, nulla profecto ratione illis præcepisset, ne se cum alienigenis hominibus commiscerẽt: sed contra edixisset, ut cum illis commercium haberent: illosq; de unius ac ueri Dei cultu, ac religione docerẽt. Idipsum nanque & Legis constitutæ causa satis indicat. Quum enim dixißet. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam eius accipies filio tuo, subiecit. quia seducet filium tuum, ne sequatur me: & ut magis seruiat Dijs alienis. Prophetam uero, ut pote qui & sibi, & alteri prodeße sciret, nõ modo non prohibuit, verum etiam ire iußit.

Q. 97.

Vt quid Deus Viduæ vnicum filium mori permisit? Propheta quum cibo satis, abundeq; vteretur, aliorum hominum calamitatem, inopiamq; propemodũ oblitus erat. Quapropter Viduæ ululatum, quasi nuntium qui illum humanæ miseriæ commoneret, ad eum misit. Cuius rei causam propheta optime noscens, ait. Domine Deus meus etiam ne uiduam, apud quam ego utcunque sustentor, afflixisti, ut interficeres filium eius? Atque ita factũ est, ut benignus, ac misericors Dominus serui sui, ac prophetæ mentem ad benignitatem, misericordiamq; reuocaret. Nec id satis, ipsemet Dominus ad seruum, opifex ad lutum legatus uenit. Post dies multos, inquit Historicus, factũ ẽ uerbũ Domini ad Heliã in anno tertio dicẽs. Vade et ostẽde te Achab, ut dẽ pluuiã super faciem terræ.

Q. 98. IN CAPVT. 18.

Cur Sacerdotes Baal Bouem eligere, et primos sacrificium facere Helias iussit? Ille qui uerus est Deus, nullius horum indigens est. Ne igitur erubescentes

causarentur Baal Deum suum moleste laturum, atq; indignaturum, si illi primũ res Diuina non fieret, primas illis facile cõcessit. Sed quum nẽ hac quidem ratio ne quicquam proficerent (simulacra enim Gentiũ argentum & aurum, opera manum hominum, aures habent & non audient) illos cauillatus dixit, Clamate uoce maiore: Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur.

Q. 99. IN CAPVT. 19.

Quæ causa fuit, vt Helias uir tali dignitate, ac uirtute prœditus Iezabelem formidarit? Homo nimirum erat, et non tantum propheta: atque etiã formido illa uiro tali Diuina prouidentia incutiebatur, ne uidelicet miraculorum præstãtia ipse de se elate ac superbe existimaret: simulq; ut propriã imbecillitatem fragilitatẽq; humiliter, demisseq; uideret, atq; agnosceret. Ob id ipsum septẽ millia hominũ qui ab impietate liberi essent sibi superesse testatus est Dominus. Ad hæc ut illum aperte, perspicueq; admoneret, Humanũ genus clementia, mansuetudine, humanitate potius q̃ seueritate, ac duritate regẽdũ esse, atque administrãdũ.

IN LIBRVM QVARTVM REGVM QVAESTIONES.

Q. 100 IN CAP. I.

Q*Vo modo intelligendum, Prævaricatus est autem Moab in Israel, post quam mortuus est Achab? Moabitæ ut pote subiecti Achab tributa conferebant. Postquam autem ille ex hominum uita demigrauit, Moabitæ tributa ferre desierunt: atque ab eo defecerunt.*

Q. 101.

Nonnulli Heliam crudelitatis accusant, quod duos principes una cum quinquaginta illorũ militibus cœlesti igne cremari uoluerit. Qui Heliam accusant, Deũ accusant: Ipse enim in illos ignem de Cœlo immisit. Temerarij igitur, & audacis est de Diuina prouidentia, ac uoluntate queri. Diuinæ nanque prouidentiæ iustitiam & scire, & laudare oportet. Illud uero luce ipsa clarius esse nemo non dixerit, Principes illos vna cum militibus suis cum nequissimo Rege sensisse, atque in eadem uoluntate fuisse: unde & Diuinitus iniectas plagas acceperunt. Tertius uero princeps alienis plagis melior factus, & moderatione ornatus, supplicibus uerbis ac manibus grauissimam plagam euitauit.

Q. 102. IN CAP. 2.

Quid sibi uolunt uerba illa, Pater mi, pater mi, Currus Israel, & auriga eius? Cæterarũ gentium Reges equis, & curribus fidentes, in acie, et ferro uersabantur. Ob id magnum Heliam currum Israel, & aurigam appellauit, ut potè qui solus satis esset ad hostes prosternendos, fundendos, occidendos, & ad uictoriam tribulibus suis reportandam.

Q. 103. IN CAP. 3.

Quid in Heliseus amaras aquas, ac pestilentes Sale coniecto sanauit? Moyses ille magnus amaras aquas ligno iniecto dulcescere fecit. Facile est enim præpotenti Deo & uoluntate, & uerbo quoquo modo uoluerit elementorum naturas immutare.

Q. 104.

Quomodo accipiendum est illud, Nunc autem adducite mihi Psalten? Diuinus ille Dauid & prophetico, & Regali nomine dignus habitus, tum Sacerdotum ministeria, tum uero sacerdotes secundum Diuinam legem tubis uti constituit: Leuitas uero Citharis, ac psalteriis & Cymbalis diuina mysteria concinentes, Vniuersarum rerum Creatorem, principem, gubernatorem, finem bonorum, quo referuntur, & cuius causa facienda sunt omnia, carminibus ab ipso Deo per Dauidẽ factis omni laude celebrare atq; extollere. Heliseus itaque quum Leuitam ad se adductum psallentem audiret, continuo cœlesti, ac Diuino Spiritu afflatus quid agendum esset significauit.

Q. 105.

Quomodo intelligendum est illud, Et facta est indignatio magna in Israel? Moabitis funditus occisione occisis, illorum Rex fuga saluti consulere nitebatur: fugam fortissima acies interclusit: quum quid faceret non haberet, filium primo sibi genitum, quem successorem habebat, super murum immolauit. ob tam crudele facinus uehemẽter indignati sunt Israelitæ, quod uidissent eo Regem redactum, ut filium immolaret: atq; ita obsidione urbem illam liberarunt.

Q. 106. IN CAP. 4.

Quem nam mulier intellexit; quum ait. Seruus tuus uir meus mortuus est? Abdiam intelligit, qui curationem, & dispensationem regiam susceperat: quique insigni pietate ornatus prophetas centum in speluncis abscondit: & pauit eos pane & aqua: ex quo prophetarum alendorum causa æs alienum suscipere coactus est. Mulier uero quum soluendo non esset, ad Heliseum confugit, qui illã oleo Diuina potentia multiplicato, atq; diuendito, omni ære alieno liberauit.

Cæterum vel ex hoc loco quiuis facile posset ediscere, in omni rerum statu,ac loco unum quenq;,Deo iuuante, probe, ac recte facere, & honeste, id est cum uirtute, uiuere posse. Talis erat Abdias regnante sceleratissimo Achab. Huiusmodi fuerunt septem illa millia hominum, quæ genu ante Baal non flexerũt Huiusmodi deniq; (ut innumerabiles penè alios omittam) mulier illa Sunamitis.

Q. 107.

Quid sibi uult mulier illa Sunamitis, quum ait. In medio populi mei habito? Otio inquit, oblector, & nemini negotium facesso: ut in perpetua pace esse possim prouideo, atque contendo.

Q. 108. IN CAPVT. 6.

Fimus Columbarum quem nam vsum afferebat? Iudæi quum ui, ac ferro obsessi tenerentur, ac prorsus nihil abesset, quin fame necarentur, fimo Columbino in salis loco utebantur.

Q. 109. IN CAPVT. 8.

Qua ratione dictum est, Recessit ergo Edom ne esset sub Iuda usq; ad diem hãc? Vniuersorum Dominator Deus iam ante per sanctissimum illum Patriarcham prædixerat, Viues in gladio, & fratri tuo seruies: tempusq; ueniet quum excutias, & soluas iugum eius de ceruicibus tuis. Idumæi igitur quamuis superati seruitutis tamen iugum excusserunt: neque præterea in Iudæorum ditione, atque imperio esse uoluerunt.

Q. 110. IN CAP. 9.

Vt quid Heliseus Ieu per aliũ prophetam ad Regnum unxit, atq; elegit? Id clã fieri oportebat, ut breui tẽpore Ioram de medio tolleretur. Id enim si præscisset, sine ulla dubitatione prælium commisisset: atq; ita fieri non poterat, quin multi utraq; ex parte trucidarentur.

Q. 111.

Cur Eliseus Prophetæ illi edixit, ut simulac Ieu unxisset, in fugam sese daret? Vt ne comprehensus periclitaretur. Vult enim Deus homines ratione præditos humana ratione, atque ingenio uti.

Q. 112.

Qua ratione prophetam insanum appellarunt? Huiusmodi flagitiosorum hominum peruersi moris est, sanctos, ac Religiosos Dei serucs contumelijs, atque cõuicijs insectari. Insanientes uero prophetas appellabant, ut pote qui licentia, libertateq; dicendi uterentur.

Q. 113. IN CAPVT. 10.

Quis nã erat Ionadab filius Rechab? Pius uir & ipse fuit, et genus eius. Intabernaculis nanq; vitam continenter agebant: & à uino se se abstinebant. Horũ itaque Hieremias mentionem honorificam facit: atque etiam ipsa hæc historia

insignem

insignem illius pietatem declarat. Nam & Rex simulac illum sibi obuium habuit, ei bene precatus est: deinde illum sciscitatus est, Nunquid est cor tuum rectum sicut cor meum cum corde tuo? quumq; ille dixisset, etiam, ait illi Ieu. Da manum tuam. tum etiam illum sibi assidere fecit: dixitq; ad eum, Veni mecũ & uide zelũ meum pro Domino.

Q. 94 IN CAP. 11.

Qua de causa Athalia ne nepotibus quidem pepercit? Vt impia atq; Tyrannica totum Dauidis genus, ut pote quod pietate, ac religione præstaret, excindere, ac delere uolebat: ut quum Regiam potestatem obtinuisset, populum suum impietate, ac scelera doceret. Sed ille princeps Deus, qui uniuersa sapientissime moderatur, populo suo bene cõsuluit. Athaliam enim de medio sustulit, & Ioiadam sapientissimũ sacerdotem populo moderatorem dedit, usque dũ Ioas Regalẽ potestatẽ adeptus est, quã tandiu optime gessit, quandiu Ioiadam Sacerdotem uiuẽdi, atque regendi doctorem habuit.

Q. 95. IN CAP. 12.

Quomodo intelligendũ est, Omnẽ pecuniã sanctorum quæ illata fuerit in teplũ Domini à prætereuntibus quæ offertur pro prætio animæ? Vt apud Mosen in Exodo legimus, ij qui iam uigesimum annum nati erant, dabant in singula capita dimidium sicli: unde uictimas illas emebant, ex quibus sacrificium illud perpetuum Deo fiebat.

Q. 96. IN CAPVT. 13.

Vt quid moriturus propheta ipsi Ioas Regi Israelis futuram uictoriam arcu, et sagitta indicauit? Non eandem fidem uerbis, quam rebus ipsis præstabant. Quare & arcum intendere, & sagittam illi iactare iussit.

Q. 97.

Quæ nam urbs est Aila? Ea est quam nunc Elam uocant. Est autem in ipso aditu, atque ore Arabici sinus, quem alio nomine Rubrum mare appellant.

Q. 98. IN CAP. 14.

Qua nã de causa Ionæ prophetiam, cuius mentionem hoc loco Historicus facit, in ipsius Ionæ uolumine non habemus? In illo uolumine quod nunc habemus, illa tantummodo scripsit, quæ ad Niniuen pertinebãt. Idcirco prophetiam illam, cuius hoc loco historicus meminit, cum rebus quæ ad Niniuen attinebant, minime copulauit.

Q. 99. IN CAP. 16.

Quomodo intelligendum est illud. Insuper & filium suum consecrauit, transferens per ignem secundum Idola gentium? Iosephus sane scriptum reliquit, Regem unum è filiis suis Baali Sidoniorum Deo immolasse. Meo autem

iudicio, atque sententia his ipsis verbis erroris, ac superstitionis quoddam genus significatur: quo quidem in errore multæ gentes usque ad ea tempora perseuerarunt. Vidi enim quibusdam in urbibus rogum ardentem quotānis semel in plateis extructum, & hunc uiros quosdam una cum pueris transilientes, infantes uero a matribus per furentem flammam translatos. Quod sane erroris, atq; superstitionis genus illis gentibus piaculi loco habebatur.

Q. 120.

Qui nam Deorum aram extrui Diuino in tēplo Achas iussit? Haud quaquam, ut mea fert opinio, Vniuersorum principi, atque effectori Deo, sed falsis exterarum nationum, & gentium Dijs. Id ipsum enim Paralipomenō posterior liber aperte ita declarat. Insuper & tempore angustiæ suæ auxit contemptum in Dominum ipse per se Rex Achas. Immolauit Dijs Damasci uictimas percussoribus suis, & dixit, Dij Regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostijs, & aderunt mihi: quū e contrario fuerint ruinæ ei, & uniuerso Israel.

Q. 121. IN CAP. 18.

Quid sibi uolunt uerba illa. Et ædificauerunt sibi excelsa ab urbe custodiæ usque ad urbem munitam? In omni, inquit, loco aras Dijs gentium consecrarunt neque in urbibus, & castellis tantum, sed in turribus etiam quæ in uiis erant, in quibus pauci quidam uigilias agebant. Hoc sane loco Deorum lucos excelsa nominauit.

Q. 122.

Quid fuit causæ cur Ezechias Assyriorum Regi munera se daturum polliceretur? Achas pater eius quum à Theglathphalasar aduersus Syros auxilium petijsset, tributum se collaturū promisit. Ezechias uero paternis promissis minime satisfecit. Conspecto uero exercitu laturum se promisit, & trecenta talenta argenti, & auri triginta transmisit.

Q. 123.

Cur quum Deum tam sancte, ac pie coloret Ezechias è sacra pecunia tributū tulit? Regis thesauri non satis erant. Mos autem erat, ut quum necessitati parendum esset, ne sacrosanctis quidem pecuniæ thesauris parcendum existimarent: deinde illos ex hostili præda, manubijsq; supplerent.

Q. 124. IN CAP. 20.

Qua nam de causa Ezechias Rex reprehensus est, quod thesauros regios Babyloniorum legatis ostenderit? Quia quum Diuinam potentiam, beneficentiamq; erga se declarare debuisset, ipse diuitias, rem uidelicet breuem, fugacem, fragilem, caducamq; ostentarit.

Q. 125.

Quomodo accipienda sunt illa uerba, Et extendam super Hierusalem funicu-

lum Samariæ? Eisdem, *in quit, hos quoq; calamitabus afficiam.* Vt *Samaritano rum alios fames, ac bellum consumpsit, alios uero, qui superstites fuerant, capti uos in alienam terram transtulerunt, simili modo in* Hierosolymorum *habitato res animaduertam : & sicut domum* Achab *occisione occidi, in ita ipsius* Hie *rosolymæ gloriam, splendoremq; obscurabo.*

Q. 126.

Vt *quid huius historiæ scriptor* Ezechiæ, Iosiæq; *Regibus parē, eandemq; lau dē tribuit nāq; ?* De Ezechia *honorificū illud* Elogium *litteris cōsecrauit.* Itaque *post eum non fuit similis ei de cunctis regibus* Iuda, *sed neque in ijs qui ante eū fuerunt ?* De Iosia *quoq; in eādem fere sententiam his ipsis verbis scripsit.* Simi *lis ei non fuit ante eum* Rex, *qui reuerteretur ad* Dominum *in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua iuxta legem* Moysi: *neque post eum surrexit similis illi.* Neque *illum huic, neque hunc illi comparauit: sed aliis qui pietate illustres habebantur, ut* Asæ, *ut* Iosaphat, *ut* Ioatham, *atque ita hos cæteris longe præstantiores esse ostendit.* Quod *si quis uerba, & litteras sequi, uoluntatem uero scriptoris negligere uoluerit, eodem elogio* Dauidem *quoque laudatum inueniet: sed enim ea quæ dixi sole illustriora, & clariora sunt.* Ne *que enim* Ezechiam Dauidi, *neque* Iosiam Ezechiæ, *et* Dauidi *prætulit: sed cum aliis pietate, ac religione præditis cōparauit.*

BASILII ZANGHII IN PRIOREM PARALIPOMENON LIBRVM QVAESTIONES AD HIERONYMVM

Saulium Archiepiscopum Genuensem.

PRincipio, Hieronyme Sauli, *quod nam huiusce* Sacræ *historiæ argumentum sit, inscriptio ipsa declarat.* Nam, *ut supra dixi,* Paralipomenon *libri inscribuntur, ex eo quia quæcunque in quatuor* Regum *libris relicta, prætermissaq; sunt, in his duobus ex uariis* Diuinorum Prophetarum *monimentis cōquisita atque collecta continentur.* Multa *tamen quæ in* Regum *libris explicantur, in his quoq; ob seruandam historiæ concinnitatem, ac seriem memorantur.* Altius *uero à* Geneologiis *scriptor orditur, & humani generis primordia repetit : ut breuiter, summatimq; ostendat, omnes nationes, ac gentes ex uno, atque eodem homine ortum habuisse.* Et *quia solius regni* Iudaici *mentionem facit, docet quæ nam huiusce* Regni *fuerint ciuitates, & oppida, tum etiam ex quibus nomen in-*

uenerint. Cæterum huiusce historiæ scriptorẽ post Hierosolymã à Nabuchodonosore captã, populumq; iu Babylonẽ captiuum ductum, atq; a Cyro Hierosolymam remissum, fuisse, facile intelligi potest ex eo, quod & populi captiui, & demum liberati, atque in patriam remissi, mentionem fecit: & huiusce rei causam explicauit. Nullus enim unquam rerũ explicator, ac pronunciator, futurarum rerũ historiã scripsit: sed aut superioribus annis, aut sua tempestate res gestas literis, memoriæq; hominum sempiternæ commendauit. Ventura enim intelligere, præuidere, atque prædicere, hoc est unum prophetarum maxime proprium.

Q. 127. IN CAPVT. 9.

Quid hoc nomine Nathinæi declaratur? Nathinæos appellatos fuisse arbitror eos, qui sacris rebus mancipati erant. Complures enim seipsos sacerdotibus, ac Leuitis mancipabant: ut uel hac ratione sacris rebus inseruirẽt. Per legẽ enim diuinam licebat eos quoq; qui ex Leuitica tribu non essent, & aquam, & ligna aliáq;, quæ Sacerdotum ac Leuitarum usui erant, comportare. Nam si Gabaonitas alienigenas homines Iesus ille laude celebratus Diuino Tabernaculo deseruire iussit, quanto magis homnibus Israelitis huiuscemodi ministerium congruẽs erat?

Q. 128. IN CAP. 13.

Vt quid Deus Obededom hominem alienigenam maximis beneficiis affecit, atq; ornauit? Vt quiuis hoc audiens, aut legens perspicue intelligere posset, neutiquam in Deo Opt. Max. Israelitæ, aut alienigenæ hominis discrimen esse; sed solam pietatem, ac religionem in uno quoque homine illum spectare, amare, beneficiis denique complecti, atq; illustrare. Hos Diuinæ benignitatis, & beneficẽtiæ fontes Diuinus ille Dauid animaduertens, tribus mensibus exactis sacram, religiosamq; Arcam continuo in Regiam maxima cum pompa, & totius populi celebritate Leuitarum humeris deportandam curauit.

Q. 129.

Quid sibi uolunt verba illa, Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me? Hæc ipsa uerba, ut ego arbitror, ad eorum vtilitatem dicta esse uidentur, qui iniusti homicidij reos se esse non ignorant. Neque enim iusti homicidii Regem insimulasset ille, qui ipsius Phinees iustum homicidium sacrificij nomine dignum duxit. Phinees, inquit Deus, filius Eleazari filij Aaron sacerdotis auertit iram meam à filiis Israel: quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo. Idcirco loquere ad eum. Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi quã semini eius pactum Sacerdotij sempiternum: quia zelatus est pro Deo suo: & expiauit scelus filiorum Israel. Et ipse

Dauid sacro carmine eum celebrauit.ait enim. Et stetit Phinees, & placauit: & cessauit quassatio:& reputatum est ei in iustitiam in generatione & generationem usq; in sempiternum. Moyses quoq; Legislator tria millia hominum, qui Vitulum uenerati erant, Leuitis ministris usus interfecit. Quid? Samuel il le magnus nonne manu sua Agag regem trucidauit? & Helias illustris octingentos quinquaginta uiros occidit? Alia igitur de causa non ipse Dauid, sed filius eius Solomon Diuinum templum ædificauit. Nã quia Dominus Iesus Christus ex qua parte homo est, Dauidico genere natus est, & Dauidis filius appellatur, ex qua parte uero Deus est, non Dauidis tantum, sed uniuersarũ etiã rerum Dominus est, toto orbe terrarum Ecclesiam, quæ templum Dei & est, & nominatur, conditurus erat, Dauidem Iudaicum templum ædificare prohibuit: sed ad eam rem Solomonem illius filium reseruauit. Cuius sane nomen, Pacem illam, quam Seruator mundi inter Deum, & homines conciliauit, præsignificabat. Eius nãq; nominis interpretatio Pacificatorem siue Pacificum sonat. Dominus autem noster Pax in Diuinis literis nominatur. ut apud Diuum Paulum. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum.

Q. 130. IN CAPVT. 25.

Asaph, & Heman, & Idithun psallentium tantummodo Principes, an etiam Prophetæ, quod nonnulli negarunt, fuere? Hi quoque vaticinandi gratia, ut opinio mea fert, ornati fuere: id quod ex his quæ sequuntur facile perspici potest. Sub manu Asaph prophetantis. Et, sub manu patris sui Idithun, qui in Cithara prophetabat super confitentes & laudantes Dominum. Itẽq;. Omnes isti filij Heman uidentis Regis in Sermonibus regis, ut exaltaret cornu. Et alio loco. Porro cantores filij Asaph stabant in ordine suo iuxta præceptum Dauid, & Asaph, & Heman, & Idithun prophetarum regis. Neque uero il lud silentio prætereundum est ipsum quoque Asaphum carminibus suis Deum celebrasse, quæ post modum vna cum carminibus Dauidicis in templo caneban tur: id quod ex posteriore Paralipomenõ libro didicimus. Præcepitq; Ezechias & principes Leuitis, ut laudarent Dominum sermonibus Dauid, & Asaph' videntis. Vt illuc facile quis adduci possit, Asaphum partem aliquam in volumine Psalmorum habere; ut sunt illi qui Asapho inscribuntur.

IN POSTERIOREM PARALI-
POMENON LIBRVM
QVAESTIONES.

Q. 131. IN CAP. 2.

VNde Hiram Rex Tyri Deum Israelitarum Cæli, & Terræ creatorem, atq; effectorem esse cognouit? Nimirum ex consuetudine, ac familiaritate quæ illi cum sanctissimo Rege ac Vate Dauide fuit. Neque uero is tantummodo Deum uerum cognouit, uerum etiam illi maximas gratias egit, quod huiusmodi filium ac Regem Regi Dauidi amico suo dedisset: qui & sapientia, & prudentia præstabilis, atque insignis esset: quiq; Diuino nomini templum consecraturus esset: Huiusmodi nempe iucundissimi fructus ex sanctorum hominum amicitia, consuetudine, congressu, sermone denique percipiuntur.

Q. 132. IN CAPVT. 10.

Quid his uerbis significatur, Et non acquieuit populi precibus: erat enim uoluntatis Dei ut compleretur sermo eius, quem locutus fuerat per manum Abiæ Silonitæ ad Hieroboā filium Nabat? Qui diuina prouidentia gubernātur, ij quid agendum, quid ue faciendum sit optime norunt: à Deo uidelicet sapiētes effecti. Quos uero Diuina gratia non tuetur, ac regit, hi nimirum pleni inconsideratissimæ temeritatis non delectu aliquo, aut sapientia ducuntur, sed fere omnia sine iudicio, uel modo faciunt. Hac autem regni diuisione in duas partes distributa, & Vitulis aureis fabrefactis, sacerdotes qui erant in decem Tribubus vna cum Leuitis in regiam Dauidis Tribum sese transtulerunt: in illa nanq; diuinum tēplum extructum erat. Cæterum sacerdotes, ac Leuitas ex cunctis Tribubus uiri, pietate ornati secuti sunt. ait enim. Sed & de cunctis Tribubus Israel quicūq; dederant cor suum ut quærerent Dominum Deum Israel, venerunt in Hierusalem ad immolandum uictimas suas Domino Deo patrum suorum.

Q. 133. IN CAPVT. 35.

Qua nam ratione quum Arca intus esset in sancto sanctorum, Iosias Rex Leuitis locutus est. Ponite Arcam in sanctuario Templi quod ædificauit Solomon filius Dauid Rex Israel? Vt opinio mea est, Assyriorū Rex quū regnante Manasse urbē Hierosolymā cepisset, Arcā quæ intus erat exportauit: aut unus aliquis de impijs Regibus qui post Ezechiam fuerunt, ut Manasses, ut Amon, id detestabile atque nefarium scelus fecit: Iosias deinde Rex religiosus, ac pius re perspecta, ac cognita in eum locum ex quo exportata erat, restituendū curauit. Atque hæc sane erant, Hieronyme Sauli, quæ, te maxime hortante, à nobis in quatuor Regū, et duos Paralipomenon libros in præsenti, adiuuante Deo, scribenda erant.

Errata animaduersione digna sic corrige.

Charta. 3. Euodius pro Enodius
Post Optatus Episcopus Mileuitanus adde
Oresiesis Pachomij abbatis discipulus.
Ὀδηγὸς pro ὁδηγός
33. Pag. 1. vers. 4. Arianos per simplex. r.
26. pag. 2. vers. 11. Qu ippe cum dixerit, cũ aliud uellet
64. pag. 2. vers. 26. voluit pro volui
27 dele migraret
28 lege quietus migraret ad
33 affectuose
37 memet ipsum


VIT